COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS VII. PARS III.

LIPSIAE. MDCCLVIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

De Bononienſi ſcientiarum et artium inſtituto atque academia Commentarii. Tomus IV. Bononiae ex typographia Laelii a Vulpe. 1757. 4 mai. alph. 2 pl. 20½. tab. aen. 24.

Cum inſtituti huius atque academiae hiſtoria a nobis ſatis ſuperque iam tradita habeatur*, nihilque ſit, quod ei addi ulterius poſſit, ad contenta huius tomi recenſenda ſtatim properamus.

Primo Ill. CAESAREM MARSILIVM anno huius ſeculi quinquageſimo quinto inſtituti praeſidem denominatum eſſe, Cl. ZANOTTVM autem, qui academiae adhuc a ſecretis abdicare ſe decreuerat, refragante pontifice, a propoſito deſtitiſſe, deprehendimus. Dein Senatores et Profeſſores recenſentur; porro ea, quae ad architecturam militarem, phyſicam, hiſtoriam naturalem, aſtronomiam et bibliothecam pertinent, enarrantur; tum omne, quod in augmentum huius academiae ceſſit, indicatur; tandem numerum academicorum definitum nunc eſſe, reperimus: Praeter Benedictinos enim haud plures quam centum et viginti quinque, Bononienſes nimirum quinquaginta, reliqui autem exteri numeran- p. 3.

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. II. p. 286.

tur. Aſt, dictitante pontifice, contra legem hanc ll. ALEMBERTVS, SAUVAGES, MVSSCHENBROECK et CONDAMINE recepti ſunt.

Quod ad commentarios ſpectat, de iis nihil nobis dicendum eſt. Summam enim eorum continent, quae opuſcula pertractant, quorum autem contenta ipſa a nobis nunc breuiter traduntur.

p. 1. 1) *De aquis non nullis, an vim diſſoluendi calculos habeant, experimenta* tradit Cl. VINCENTIVS MENGHINI. Exemplo aliorum et LITTRII in primis, aquas Pariſienſes examinantis, incitatus Cl. Auctor, aquas Bononienſes examini ſubiecit, atque eo quidem fine, ut comperiret, num quaedam ſint, quae calculos in humano corpore ſoluant. Eam igitur ob cauſam, non nullas in tractu Bononienſi ſcaturientes aquas adhibuit et experimenta cum his et calculis inſtituit. Cum autem non unius generis calculos, ſed hos ipſos, ratione duritiei et materiae, diuerſos omnino animaduerterit, quintuplicem hinc calculorum differentiam conſtituit, eosque marmoreos, lateritios, tophaceos, gypſeos et arenarios, ob ſimilitudinem, quam habent cum lapidibus vulgo nominatis, appellauit.

p. 4. Vt autem experimenta rite inſtituerentur, calculos, examini ſubiiciendos, prius ponderauit, dein aquas explorauit, porro durationem infuſionis ſingulorum calculorum in aquis ſingulis annotauit, tandem quicquid, experimentis peractis, et in aqua et in calculo mutatum reperit, obſeruauit. In primis autem de duabus aquis putealibus, quibus Bononienſes quotidie utuntur, perhibet, eas inſignem calculos in ipſo corpore ſoluendi vim habere, lapidumque materiem comminutam per urinae vias educere. Hanc rem aegrotis aliquot, calculo laborantibus, hasque aquas continuo uſurpantibus, confirmat. Sub finem huius diſſertationis tabulae deprehenduntur,

tur, quae experimenta cum calculis et aquis ſuſcepta ſiſtunt.

2) DOMINICI GVSMANI GALEATII *de morbis duobus obſeruationes.* De priori morbo ſequentia notamus. Vir quidam, per multum tempus ſanus, mutato vitae genere, motui nimirum et equitationi aſſuetus, vitae ſedentariae ſe dicat; paulo poſt dolore cardialgico et periculoſo cruciatur, remediis tamen adhibitis liberatur quidem, ſed a priſtina ſanitatis incolumitate corporisque robore longe alienus. Ab eo tempore omni fere anno per plures ſeptimanas et quidem ſaepiſſime doloribus iisdem affligitur, ita tamen, ut interdum maior, interdum minor eorum impetus obſeruari potuerit. Dolores iſti, ſi ventriculi orificium ſuperius occuparunt, acriores ſummaque virium proſtratione et vomitu iuncti, ſed rariores exſtiterunt, ſin vero dextrum hypochondrium occuparunt, obtuſiores quidem, ſed frequentiores fuerunt. Doloribus diu durantibus luteo ſaepe colore tinctus apparuit aeger, cibum abhorruit, aluique tunc etiam obſtructione aut ſtipticitate laborauit, flauamque in ſuper et parcam emiſit urinam. His, nimirum doloribus, diu durantibus ſaepe febrem iunctam obſeruarunt, quae vero nunquam diu durauit, uno vel altero die elapſo ut plurimum ceſſans, ſaepius tamen recurrens tertianae ſimilis paroxyſmos habuit. Aegrum praeterea affectione iſchiadica paucos ante mortem menſes vexatum tribusque ante obitum annis febre lethargica inſolita ad mortem fere eum perducente, decubuiſſe, ultimis autem annis doloribus iſtis abdominalibus liberum prorſus iſtum fuiſſe, Noſter perhibet. His igitur aerumnis ultra triginta annos afflictus vitam duxit, uno anno plus, altero ſaepe minus ita excruciatus. In ſtadio demum vitae ultimo moleſto dolore ad ſterni finem circa cordis ſcrobiculum exiſtente, ſeque ab hoc loco

per totum pectus diffundente correptus fuit, quo quidem per aliquot dies remittente, eo tamen iterum afflictus subito demum periit. Corpore aperto viscera thoracis disquisitis, dextrum pulmonum lobum pleurae valde adhaerentem, inque huius et sinistri pariter lobi parte posteriori leuem inflammationem reperit. Cauo pectoris ulterius examinato nihil praeter naturam, at pericardium tamen valde tumidum tertiamque pectoris caui partem occupans visum fuit, quo perforato sanguinis seri copia exiit, duaeque insimul sanguinis crassi et concreti libra, in fundo pericardii haerentes, apparuerunt. Corde hinc examinato nihil morbosi, nisi leuem quandam protuberantiam in exteriori ventriculi sinistri pariete sitam, inque ea scissuram, vix duarum linearum parisiensium longitudine, repererunt, per quam specillus immissus commode in ventriculi cauum introduci potuit. In abdomine vesicula fellea, solita maior, viscida bile turgens quinque aut sex calculos nigros continuit, atque, quod maxime hic notandum, inter duodenum et pancreatis basin sacculus quidam, oui gallinacei magnitudinem aequans apparuit. Hunc sacculum nihil aliud, nisi eam pancreatis partem, ubi ductus choledochus inseritur, et incedit, antequam intra pancreatis ductum ingrediatur, scirrhosam factam fuisse, Noster arbitratur. Reperit praeterea in hoc sacco viginti circiter calculos, qui autem nec aquae innatantes nec flammam concipientes fundum petierunt. Praeter hepar paulo induratum nihil praeternaturale de reliquo obseruauit.

p. 35. Alter morbus diarrhoea fuit pertinax. Hac enim per septem menses laborauit sexagenarius, ita, ut remediis cunctis tam lenioribus purgantibus, quam roborantibus imo et adstringentibus in cassum exhibitis aeger tandem inter dolores et tormina obierit. Materies, quae exiit faeculenta, liquida semper fuit et foetens, coloris obscuri atram bilem saepe referentis.

tis. Interdum etiam ſanguis ſincerus iisdem remixtus fuit, quem autem ex haemorrhoidalibus vaſis proueniſſe, Noſter autumat. Corpore poſt mortem examinato abdomen inflatum et turgidum atque integumentis remotis ſtatim materiem foetidam fluidam valde copioſam profiluiſſe annotauit. In cauſam igitur huius praeter naturam collecti liquoris inquirens Noſter, et omnia inde viſcera examinans, foramen, apicem minimi digiti admittens, in duodeno reperit, et praeter leuem inflammationem, inteſtina tenuia occupantem hepatisque membranam externam inſigni nigredine conſpicuam, nihil praeternaturale in reliquis totius corporis viſceribus obſeruauit.

Sub finem huius diſſertationis, ea, quae breuiter de his morbis meditatus eſt Noſter, ſubnexuit, quae autem, ne mimis longi ſimus, omittimus.

3) IOANNIS CHRYSOSTOMI TROMBELLI *de numiſmatis quibusdam gallicis, quae* TITHONVS DVTILLET *Academiae miſerat ad* FRANCISCVM MARIAM ZANOTTVM, *epiſtola.* p. 44.

4) FERDINANDI BASSI *exiguarum quarundam madreporarum agri bononienſis* deſcriptio. Quas neque inter marinas nec inter foſſiles conchas deſcriptas eſſe, Noſter putat, quasue inter ſedimentum arenoſum, ab aquis turgentibus in agrum bononienſem demiſſum, reperit madreporas, harum duas nunc deſcribit ſpecies, quarum priorem ob internam et externam ſtructuram *Madreporam orbicularem aſteriformem eleganter cancellatam*, poſteriorem autem *Madreporam orbicularem leuiter radiatam et elegantiſſime cancellatam* nominat, figuramque de iis exhibet. His aliam quandam ſpeciem addidit, et figura illuſtrauit, quam, licet in memorato agro non reperta ſit, ob ſimilitudinem tamen breuibus hic deſcribere non dubitauit. Hanc *Madreporam orbicularem fungi* p. 49.

pileolum reticulatum referentem appellat, eamque in agro Auguſtae Taurinorum repertam eſſe, perhibet. Madreporas has, quae ob exiguitatem nudis oculis ſe inuicem diſcerni vix poſſunt, non ad petrefactorum claſſem ſed ad foſſilia marina, impetu quodam in terram delata, referendas eſſe, Noſter aſſerit. Cumque ad probandam hanc ſententiam ſtrata terrae denuo diſquiſiuerit, et madreporarum quarundam fragmenta tunc inſimul detexerit, haec etiam prius deſcriptis integris adiungere digna cenſuit. Tres igitur earum ſpecies deſcribuntur et figuris illuſtrantur, quarum primam quarta figura delineatam, *Madreporam complanatam eſcarae fragmentum referentem*; ſecundam figura quinta depictam, *Madreporam teretis lithophyti fruſtum referentis*, tandemque tertiam, figura ſexta repraeſentatam, *Madreporam teretem crebris cellulis alternatim diſpoſitis praeditam* appellat.

p. 61. 5) LAVRAE BASSIAE diſſertatio *de problemate quodam hydrometrico.*

p. 74. 6) Eiusdem diſſertatio *de problemate quodam mechanico.*

p. 80. 7) THOMAE LAGHII *de animalium in aere intercluſorum interitu.* Quaeritur nimirum, *num coniectum animal in aerem, vaſe intercluſum, ſtatim ab admota flamma eaque extincta breui quoque interiret, ut in mephiti?* Ad quaeſtionem hanc dirimendam ſequens inſtituit experimentum. Adhibuit nempe vas vitreum cylindricum, altitudinis duorum pedum pariſienſium, cui intus circulum plumbeum, parieti vitri interiori exacte reſpondentem inque medio foramine donatum, adiecit. In iſtud vas, duabus cauitatibus nunc inſtructum et inferius aqua cinctum, ſuperius autem operculo metallico tectum, candelam unam aut plures nec non animalia, haecque quidem in ſuperiorem,

periorem, candelas autem in inferiorem cauitatem immiſit, ita tamen, ut foramen circuli plumbei eo tempore, dum candela ardebat, inſtrumento quodam apto clauſum fuerit. Flamma dein extincta, vaporibus aditus ad animalis ſedem conceſſus fuit, quo facto ſequentem experimentorum ſummam exhibet: *Multiplex*, inquit, *flamma citius animalibus obeſt, vi-* p. 82.
tamque adimit, quam unica, modo ſingulae candelae aeque ardeant; mitto tempus, quo viuitur, non ſemper eſſe in ratione reciproca numeri candelarum; bene vero ſtatuo ſingularum auium moriendi modum eundem fore: difficilis nimirum et crebra reſpiratio, virium imbecillitas, ſpiritus demum magnus et rarus eas male habent; tum inſtante morte parua et rara euadit reſpiratio; tandem his aegrotationibus confectae pereunt omnes. Haec notans dein oſtendit, animalia cuncta in vaſe quodam intercluſa, aut praeſente aut abſente candela, eadem ſemper mori ratione. Thoracis enim viſceribus diſquiſitis, pulmones paululum rubentes, vaſa maiora prope cor, hocque ipſum praeter modum tumentia, reliqua vero viſcera ſana reperit. At, cum a plantarum, vitro etiam intercluſarum, halitibus mutationes, forte oriundas, experiri conſultum duxerit, plantas ea propter una cum animalibus vitro incluſit haecque crebra et difficili reſpiratione pariter ac ea, quae absque plantis vitro incluſa fuere, afflicta et ſub iisdem prope modum anguſtiis periiſſe obſeruauit. Ex hiſce itaque experimentis Cl. Auctor colligit, latente illo et arcano in aere principio, quod flammam nutrit, hanc magis quam animalia indigere, licet et haec poſt aliquot horas perierint. Cum deinde animalia tam naturali et ſimplici quam halitibus extinctae flammae infecto aere intercluſa eadem penitus ratione perire obſeruauerit, inde mephitim nullam eſſe animalia interimentem concludit. Eas enim exhalationes mephiticas, in locis quibusdam obſeruandas, aliter ſe habere, et neruos in primis

afficere veternumque inducere, asserit, minime tamen negans, flammae extinctae plantarumque vaporibus, intra vitrum dispersis, angorem tantum augeri mortemque accelerari. Haec igitur obseruans ultro affirmat, aerem ab animali incluso respirante mutari, illiusque intermixtum pabulum sensim ab animali absorberi, ita, ut ad conseruandam vitam plane ineptus demum fiat aer. Tandem cum, animalibus mortuis, barometrum sursum ferri viderit, nouum igitur e putrescentibus carnibus aerem gigni et exsolui concludit.

p. 90. 8) PETRONII MATTEVCII *animaduersiones quaedam pro minimo, quod in aequilibrio virium inuenitur iuxta distantiarum functionem quamlibet attrahentium.*

p. 98. 9) IOANNIS BACIALLINI *tractatio de fluminum cataractis.*

p. 106. 10) FRANCISCI VANDELLI *dissertatio de puluere pyrio.* In causam nimirum inquirit, unde paruae quantitati pulueris pyrii tanta insit vis. Cum itaque puluerem hunc ex nitro, sulphure communi, carbone, aere et aqua compositum perpenderit, aeremque densatum in efformatione pulueris huius coercitum compressumque esse repererit, inde igitur puluere hoc accenso aeris condensati vincula rumpi, huiusque elasticitatem igne agitato augeri ostendit, stupendasque hinc a sola aeris elasticitate dependere effectus asserit.

p. 120. 11) THOMAE LAGHII *de perficienda iniectionum anatomicarum methodo*, dissertatio. Vt iniectiones anatomicae rite perfici possint, tria inde momenta attendenda esse, Noster praecipit. Primo itaque instrumentum ad liquorem in vasa promte propellendum

dum adaptari, dein partem, iniectioni destinatam rite praeparari, tandem materiem, iniectioni aptissimam deligi, iubet.

Quod ad instrumentum pertinet, illud a Cl. MONRO usurpatum laudat quidem, quaedam tamen in eo construendo mutauit. Loco enim tubuli recurui, siphonis extremo inserti, tubulum rectum et lateraliter ex siphonis extremo egredientem laudat, huncque, ne materies iniecta regrediatur, non valuula, sed epistomio adaptato claudit. p. 121.

Ad partem praeparandam tepidam aquam, vasa eluentem, macerationi, Cl. MONRO usitatae, anteponit, eamque non solum vasa ab intus haerente sanguine sufficienter liberare sed et hac ipsa ramulos laterales, filo dein constringendos detegi, sicque, ne materies iniecta per hos alias propulsa egrediatur, impediri perhibet. p. 122.

Ad iniectionis materiem quod spectat, primo Auctor eam ex glutine, aqua soluto, parauit, et vasis iniecit. Licet autem talis iniectio a Cl. MONRO non laudata fuerit, Noster tamen eam laudat, ita tamen, ut tum adhiberi velit, si partes statim dissectioni subiiciendae sint, alias autem cum Cl. MONRO consentit, illamque, si partes diu asseruari debeant, reiicit. Tunc enim tempore protracto gluten sensim exsiccari, vasa in angustum redigi, et visum hinc effugere eodem modo, ut Cl. MONRO, annotauit. Vt itaque vasa iniecta diu ita perstent, Cl. MONRO ad replenda vasa minima oleo terebinthinae colorato usus est, hacque iniectione peracta crassiorem ex cera, oleo oliuarum et terebinthinae paratam massam in maiora vasa iniecit. Haec Noster perpendens methodum a Cl. MONRO usitatam non quidem reiicit, oleum vero nucum expressum iniectum illi praestare, perhibet. Id enim non solum profundius penetrare, sed et sensim paullatimque indurari, eoque vasa in conspectum venire, affirmat. Notat praeterea crassiori p. 124.

ſiori iniectione ceracea non opus eſſe, ſi cum oleo nucum ceruſſa coniungeretur. Hanc enim, cum dicto oleo mixtam, calore ſolis ſenſim indurari, dicit. Cum vero et talis materies non niſi tempore protracto induretur, atque ſaepe cunctari non licet, aliam hinc materiem ex reſinae aqua cum maſtiche mixta adhibet. Sub aqua reſinae intelligit illud oleum, quod ex recenti pini ſylueſtris reſina deſtillatur. Iſtam igitur aquam ſeu oleum cum maſtiche plus minus mixtum optime vaſa replere et indurare, huiusque iniectionis craſſitiem ope maſtichis vel augeri vel imminui poſſe, prout nempe vaſa vel maiora vel minora replenda ſint, autumat.

p. 133. 12) IACOBI BLANCANI *de quibusdam animalium exuuiis lapidefactis* breuis diſſertatio. Deſcribuntur nimirum ingentia vertebrarum et coſtae cuiusdam fruſta in agro Bononienſi reperta et lapidefacta. Ex magnitudine iſta iugentis animalis et forſan ceti aut canis carcariae partes fuiſſe, Cl. Auctor colligit, atque, ut alii de his iudicent, cuinam animali accenſeri vere poſſint, tabulas ea propter delineandas curauit, et adiecit.

p. 139. 13) VINCENTII RICCATI *de motibus liberis et curuilineis in vacuo* commentatio.

p. 199. 14) VINCENTII MENGHINI diſſertatio *de camphora in curationibus adhibenda*. Vt de effectibus camphorae in animalium corporibus certior redderetur Noſter, varia igitur experimenta cum animalibus inſtituit. Camphoram inde et auibus et quadrupedibus et aquatilibus exhibuit, atque varia hinc in variis animalibus phaenomena notauit. Ita enim ſtatim poſt aſſumtionem non nulla blando ſomno, alia profundo affecta, alia rurſus in furorem acta, aliaque temulenta obſeruauit. In non nullis etiam vomitum,

in

in aliis alui deiectionem urinaeque profluuium, in quibusdam etiam ſingultum et anxietatem, quid? quod in aliis miram neruorum diſtenſionem et epilepſiam deprehendit, non nulla tandem, variis ſymptomatibus praegreſſis, periiſſe, narrat. Ex his itaque concludit, camphoram, cum, ſtatim ac aſſumta fuerit, actionem exerceret, ſumme actiuam eſſe neque opus habere, ut per lactea vaſorum oſcula ſanguinem ingrediatur. Porro, cum tam ſubito in corpus agere ea viſa ſit, citum inde, ſi in hominibus bonam opem praeſtare valeret, leuamen eſſe expectandum, ſtatuit. Tandem cum digeſtio in brutis, camphora aſſumta, impedita prorſus fuerit, atque alimenta diu indigeſta in eorum ventriculis perſtiterint, Noſter ideo iis, qui ventriculi imbecillitate laborant, vel camphora parcius uti ſuadet, vel interdicit.

15) THOMAE LAGHII *de inſenſibilitate atque* p. 208.
irritabilitate Halleriana epiſtola. In hac, quam ad Cl. POZZI dedit Noſter, enarrat experimenta, quae hanc ob cauſam inſtituit. Tendinem nimirum in agno pupugit, huncque doloris ſenſum dediſſe, perhibet. Pleuram deinde, peritonaeum et arterias diſquiſitioni ſubiecit, hasque partes dolentes deprehendit. Tandem in duram matrem inquirens, eam etiam ſenſibilem reperit.

Ad irritabilitatem quod ſpectat, Noſter etiam p. 214.
tentamina fecit, hancque in muſculis, ſiue tendini adhaereant nec ne, ſtimulo quouis excitari, cor autem irritabile omnino eſſe, motumque eius non a ſanguine propulſo dependere, ſtatuit. Impediuit enim ſanguinis acceſſum ad cor, idque tamen pulſare vidit.

Ex his itaque colligit, tendines neruis eſſe prae p. 215.
ditos, quos autem, diu vexatos, dolori quaſi aſſuefcere, hincque ſenſum nullum obſeruari, putat. Irritabi-

ritabilitatis vero cauſam, num in glutine quaerenda ſit, Cl. Auctor dubitat, eam potius neruorum fluido adſcribens. Licet enim reſectis neruis cor palpitare non neget, cauſam tamen in neruis quaerit. Spiritus namque in fibris cordis adhuc hoſpitari, hincque his irritatis, motum cordis excitari, coniicit. His tabulas adiecit, quibus neruos ad tendines et meningem tendentes illuſtrare putat.

p. 219. 16) EVSTACHII ZANOTTI diſſertatio *de vi percuſſionis.*

p. 233. 17) EIVSDEM *de vi elaſtica* diſſertatio.

p. 242. 18) IOHANNIS ANTONII ANDREAE CASTELVETRI *de quadam generali numerorum proprietate* commentatio.

p. 260. 19) VINCENTII MENGHINI Experimenta *de largo et diuturno cremoris tartari uſu ad hydropiſin ſummopere utili.* Hydropicorum ope cremoris tartari curatorum hiſtorias perlegentes non ſolum hydropem aſciten, ſed et illam hydropis ſpeciem, quam *ἀνασάρκα* vocant, quid? quod omnis hydropis ſpecies a variis diuerſisque cauſis ortas ſolo tartari cremoris uſu diuturno debellatas eſſe, atque eos etiam aegrotantes, una cum hydrope aliis inſimul morbis affectos, eodem hoc reſtitutos deprehendimus. Atque, ſi quid proficere debeat iſtud laudatum remedium, uſus proinde diuturnus, largaque eiusdem doſis requiritur. Ita pluribus aegrotantibus omni die adminimum unciam dimidiam dicti cremoris propinauit Noſter, diuque eum continuauit, uſque dum largum urinae profluuium obſeruari potuerit. Largiori enim urinae fluxu excitato plerosque hydropicos curatos fuiſſe, aſt in aliis tamen, et alui deiectiones inſimul acceſſiſſe, notat. Propriis itaque aliorumque

que medentium experientiis Noſter confirmatus, uſum cremoris tartari in hydrope magni quidem facit, aſt conſiderate inſimul monet, eandem et huius remedii eſſe ſortem, quam alia et efficaciſſima quidem remedia experiuntur. Dicit enim, huic remedio etiam ſuos eſſe limites, ultra quos eius efficacia extendi haud poſſit. Inde iſtud ceu uniuerſale et in omni hydrope quaſi unicum ſemperque profieuum et ſalutare commendare Noſter non cupit, laudat tamen iſtud, et, licet ſint, qui eo remedio uſi obierunt, tamen eosdem eo omnino leuatos fuiſſe affirmat, hincque in omni hydrope iſtud tentandum atque ob copioſos, quos praeſtitit, effectus ſalutares commendandum eſſe, arbitratur.

20) FERDINANDI BASSI *iter ad alpes.* Iter hoc faciens Noſter primo narrat, qualem gradum caloris in Porectanis thermis obſeruauerit. Reaumuriano nimirum thermometro immiſſo mercurium anno 1753. ad gradum viceſimum tertium, anno autem 1754. ad viceſimum quartum cum dimidio, eoque profundius immiſſo ad triceſimum, anno autem antecedente ad viceſimum octauum gradum aſcendiſſe, atque aquarum vapores, face accenſa admota flammam concepiſſe perhibet. Aquis his exploratis Capugnari et Caſtelluccii montes aſcendit, inque illis varie coloratas cryſtallos reperit, quarum maiores obſcuriores, minores vero nitidiores purioresque fuere, et ita fulgentes, ut adamantes aemulatae ſint. Poſthac in locum quemdam, viſui iucundiſſimum, et a monticolis *Piella* nuncupatum ſe contulit, ubi varias plantas deprehendit, quarum non nullas deſcripſit et delineandas curauit. Tabula nimirum 1 figura 1. *Rapunculus alpinus coeruleus anguſto raro ſubinde dentato folio*; eiusdemque tabulae figura 2. *Rapunculus folio oblongo ſpica orbiculari C. B. Pin.* repraeſentatur. Tabula 2 exhibet *Verba-* p. 286.

ſcum,

ſcum, quod a Cl. MICHELIO *Verbaſcum alpinum nigrum ſclareae foliis flore luteo paruo ſtaminibus cum apicibus croceis et lanugine purpurea tectis* inſcribitur, a Noſtro autem *Verbaſcum alpinum ſclareae indicae foliis* appellatur. Tabula 3 figura 1 *Hypericum alpinum humilius magno flore punctato*, a TOVRNEFORTIO deſcriptum; eiusdemque tabulae figura 2 *Linaria alpina tetraphylla floribus violaceis paruis* a MICHELLIO ita nominata repraeſentatur.

p. 298. 21) GREGORII CASALII *de conicarum ſectionum focis* diſſertatio.

p. 311. 22) EVSTACHII ZANOTTI obſeruationes *aſtronomicae in bononienſi ſpeculo habitae annis* 1751. 1752. *ad inueſtigandas Lunae Martis et Veneris parallaxes.*

p. 330. 23) CAIETANI MONTII *deſcriptio oui ſerpentiformis.* In ouo nimirum gallinaceo ſingularem iſtam figuram videre Cl. Auctori contigit. Intra teſtas enim et membranam interiorem haeſit vermiculus, ita, ut oui albumine, vitello et membranis remotis iſte cum teſta concretus et cruſta lapidea obductus apparuerit. Hic etiam externe conſpici potuit, atque ſerpentis aut potius, ut Noſter putat, lumbrici figuram repraeſentauit. In cauſam huius rei ſingularis inquirens Noſter, forte lumbricum ex inteſtinis per oui ductum, quippe qui cum inteſtinis communicat, repſiſſe, ouoque immaturo ſe circumplicaſſe, atque dein cruſta iſta teſtacea inueſtitum fuiſſe, ſtatuit. Quicquid enim alii imaginationi gallinae tribuant, veritati vix conſentaneum eſſe, Noſter putat. Ad illuſtrandam hancce ſententiam epiſtolam ſubnexuit,
p. 336. quam ad Noſtrum de angue ligneo dedit Cl. CASTELVETRI. Lignum enim obſeruatum fuit, quod perfecte anguis ſpeciem prae ſe tulit. Cuius rei cauſam

ſequen-

ſequentibus dedit verbis: *Fortaſſe intra lapides ſcrobs erat ac in ſcrobe vipera et haec ibi contracta ac plexibus implicata. Fac, ut decurrens aqua, vel de ſub terra erumpens paulatim inter lapides quaquauerſus eroſerit terram, ac lapis incumbens pondere auulſus refixerit, ac viperam ibi iacentem compreſſerit; vel ſi vis ob aquas latentes, ſeu ob fluminis eroſiones, terra ſubmota ruerit, et viperam in ſcrobe dormientem lapidibus interpoſitis occiderit. Hoc naturaliter fieri potuit, et ſi factum ſupponamus, quid vetat, fieri etiam potuiſſe, ut prope ſcrobem ſalix fuerit, ſeu poſt inde germinauerit, ac radicem in foſſulam fixerit a ſcrobe relictam? Admiſſa in foueolam radice, ad formam viperae compreſſam ac a putreſcente materia veluti attracta et per typum ſerpente plexus efformari potuerunt et oppleta forma lignum creſcere et nanciſci viperae formam.*

24) GREGORII CASALII *de conicarum ſectionum* focis ſermo alter. p. 338.

25) IOANNIS CHRYSOSTOMI TROMBELLI deſcriptio *telae ex geniſtarum corticibus confectae.* Geniſtarum nimirum, quae iunceae flore luteo Botanicis audiunt, ramuſculos maturos exſiccant, dein aquis thermarum ibi ſcaturientibus immergunt, per aliquot dies macerant, poſtmodum lapillo corticem omni diligentia integrum auellunt. Ex his corticibus faſciculos formant, quos deinde ut linum tractant, tandem in fila redigunt, et ex his demum telas conficiunt, quas omni fere colorum genere infici imo et candidos ut lintea reddi poſſe, Cl. Auctor perhibet. p. 349.

26) ROGERII IOSEPHI BOSCOVICH *de literaria expeditione per pontificiam ditionem* relatio. p. 353.

II.

ABRAHAMI KAVV BOERHAAVE, M. Doct. Anatomes et Physiologiae Professoris, Academiae Scientiarum Petropolitanae Membri, Historia Anatomica Infantis, cuius pars corporis inferior monstrosa. Petropoli, typis Academiae Scientiarum. 1754. 4. mai. pl. 15. tab. aen. 13.

et

EIVSDEM Historia altera Anatomica Infantis etc. ibid. 1757. 4. mai. pl. 17½. tab. aen. 11.

Cum ambo isti libri idem argumentum pertractent, magnamque inter se inuicem alant similitudinem, eos eapropter coniunctim hic recensere nobis etiam placuit. Licet autem uterque unius subiecti historiam tradere videatur, quemlibet tamen de diuerso subiecto, monstrose nato, conscriptum esse, animaduertimus. Prior enim tractatus infantis meminit, cuius recens mortuum corpus, ad disquirendum, Cl. Auctori traditum fuit: Posterior vero tractatus infantis, figurae itidem monstrosae, historiam tradit, cuius corpus per aliquot annos in spirituoso liquore seruatum iam fuit. De utroque in genere notamus, eum tantam respectu figurae monstrosae inter se habuisse conuenientiam, ut mirum sane sit, qui fiat, unde in rerum natura tam magna duorum, mire formatorum, corporum similitudo reperiatur. Quod ad utriusque tractatus contenta attinet, tum in hoc, tum in illo, eundem capitum ordinem seruauit Noster, imo in descriptione partium foetus utriusque iisdem saepe, ob exactam conuenientiam usus fuit verbis; hinc et nos, nisi singularitas rei aliud quid postulet, prioris tantum summam, cui exacte respondet alter, exhibituri sumus. Itaque utriusque tractatus capite primo figuram externam descripsit Noster,

Noſter, cumque, quod ad priorem foetum ſpectat, de eius natiuitate, vita et morte certior factus ſit, horum eapropter breuem inſimul mentionem fecit. Capite ſecundo partium deformatarum, poſt ablata integumenta, conſpectum exhibuit. Capite tertio partium earundem oſſa capiteque quarto muſculos commemorauit. Tandem capite quinto viſcera et vaſa deformata expoſuit. Ex prioris foetus monſtroſi deſcriptione ſequentia notamus.

Prodiit iſte in Curlandia anno 1747. a capite ad p. 1.
umbilicum uſque naturaliter viſus, ab eo autem loco, quidemque paulo infra, quoad reliquum corpus, mire deformatus. Ita abdomen, infra umbilicum, verſus inferiora, ſenſim coarctatum, quaſi pyriforme apparuit. Defuerunt pubes et inguina in anteriore parte, in poſteriore autem nates quidem viſae, ſed compreſſae et planae, ſolitam figuram vix repraeſentarunt. Orificium ani nullum, atque eo in loco, ubi in puellis labia pudendi cernuntur, inciſura cutis apparuit, quae ab anterioribus circa montem veneris incipiens et poſteriora verſus deſcendens ſenſim latior facta cingulum formauit. Ex hac, inciſura nempe, appendix quaedam propendit, quae unius cruris deformis figuram repraeſentauit, idque, quod ceu pes extremus conſiderari potuit, itidem deforme nullis digitis nec ullo etiam ungue apparuit. Tota huius infantis longitudo tredecim pollicum Rhenolandicorum fuit, foetusque ipſe valde tener, iisque, qui nouem menſibus completis prodeunt, minor per viginti quatuor horas vixit, deinde obiit.

Corpore anatomice diſquiſito et integumentis p. 8.
hinc primo remotis nullam ani aperturam nec etiam genitalium protuberantiam, ſexum diſtinguentem, reperit Noſter, ob leuia tamen filamenta, per muſculos dimiſſa, ad ſequiorem ſexum foetum hunc pertinuiſſe putans. Linea alba, ſupra umbilicum naturalis, infra eundem exilior eoque in loco, ubi mu-

ſculorum femoris unius origo, euanuit, multa autem in parte poſteriore, infra lumbos alias reperiunda, defecerunt.

p. 13. In oſſa inquirens Noſter, quorundam eorum naturaliter conſtitutorum deſcriptione omiſſa, coſtam primam, mobili articulo inhaerentem et productam ſenſim extenuatam, nec ad ſternum exporrectam, inter muſculos deſiuiſſe reperit; ſecundam ſuperiori ſterni parti inſertam prioris munere functam, tertiam autem et quartam, mox ubi procedunt, confluentes animaduertit, idque tamen magis in dextro quam in ſiniſtro latere euidens fuit. In ſterno ibi, ubi coſta prima inſeritur, cartilago teres, paululum exporrecta et truncata, nec extremo ſuo cohaerens apparuit, paulo aliter in dextro latere viſa, at utriuſque tamen cartilaginis extremitas in apicem acutum

p. 17. deſiit. Vertebrarum lumborum partes poſteriores oſſeae et cartilagineae inter ſe iunctae a figura et naturali coniunctione ita receſſerunt, ut lumbi dextrorſum caui, incurui ſiniſtrorſum apparuerint. Multus in deſcribendis vertebris et oſſibus innominatis hic fuit Noſter, quare nos breuiores tantum notamus,

p. 27. oſſa ilea, limbo cartilagineo cincta cum oſſe ſacro in unum confluxiſſe, peluisque cauitatem conchae formam effeciſſe, idque, quod ceu acetabulum viſum,

p. 32. ex duobus in unum concretum fuiſſe. Vnius pedis in foetu hoc reperti femoris os adfuit quidem, ſed inuerſum, nec aliter niſi muſculis adhaerens et mire

p. 34. de reliquo formatum, tres condylos habuit. Sub hoc tibiae os pari ratione inuerſum apparuit, quod itidem deformatum per tertium femoris condylum cum hoc articulatum fuit. Idem hoc os in principio latum ſenſim anguſtius factum et coarctatum in apicem tandem deſiit. Sed neque fibula nec extremi etiam pedis oſſa adfuerunt. Patella autem dextra et ſiniſtra in unum concreta inter oſſis femoris inferiorem et tibiae ſuperiorem partem locata fuit. Ex his igitur

duo

duo ossa femoris duoque tibiae in unum coaluisse, et deformatam ossium figuram hinc constituisse, congruenter coniecit Nosser.

Ad musculos quod spectat, de his notamus, quod latissimus dorsi, serratus posticus inferior, sacro lumbalis, longissimus dorsi, multifidus spinae, intertransuersarii et interspinales lumborum ob deformatas ultimae spinae dorsi partes ipsi inde deformes et truncati in conspectum venerint. Cum autem appendix, quae femur constituit, ab anteriori et inferiori corporis parte exierit, musculi inde abdominales praeter naturam etiam constituti fuerunt, ita, ut elongati, distorsi et ob corporis appositi extensionem extenuati visi sint. Musculorum femoris multi non solum defecerunt, sed alii in unum quasi ex duobus concreti, alii duplices et ad femur, ex duobus quasi factum unum, locati aliique tandem situ inuersi fuerunt. p. 38. p. 56.

Viscera tandem et vasa disquirens Nosser sequentem eorum statum praeter naturam reperit. Vnica nimirum fuit arteria umbilicalis, solitis tamen duplo capacior et fere cylindrica. Intestina tenuia sana una cum mesenterio sub hepate in hypochondrio dextro collocata et a corpore quodam peregrino ouum gallinaceum aequante et dimidiam sinistramque abdominis partem occupante eo dimota fuerunt. Corpore hoc, ventriculum, lienem et omentum occultante, remoto ventriculus compressus, sursum trusus et plane vacuus, tenuissimumque pariter eleuatum omentum cum liene itidem eleuato in conspectum venit. Hepate eleuato, colon praeter naturam intortum apparuit, et, ubi in sinistro latere inflexum alias descendit, saccum formauit magnum ouiformem, in apicem obtusum et clausum desinentem. In sacco hoc, colon quidem repraesentante, nulla tamen ligamentorum vestigia apparuere, verum a posteriore parte processus peritonaei ei adhaeserunt. p. 65.

runt. In apice memorati ſacci collectum fuit meconium.

p. 73. In vaſis etiam aliquam diuerſitatem ſed non inſignem, in primis autem arterias emulgentes, conſueto loco egreſſas, tenues et puſillas admodum reperit. Arteria ſpermatica ſiniſtra, communi trunco ex aorta cum emulgente exiit, dextra naturaliter conſtituta. Aorta conſuetos ramos in abdomine et hic exhibens in ima pelui in duos ramos, iliacis ſimiles diuiſa fuit. Vena emulgens ſiniſtra inſignior fuit quam dextra, venaque ſpermatica ei inſerta. Pari ratione et eodem in loco, ubi aorta, etiam vena caua in duas venas iliacas diuiſa fuit, quae cum arteriis comites ad crus abierunt. Ad lumbos vena caua ramum exhibuit in duas venas diuiſum, quae iterum aſcendentes pectus intrarunt, inque medio eius rurſus coeuntes ramum inſignem, poſtea aſcendentem et venae ſubclauiae dextrae inſertum dederunt. Hic truncus venae azygos munere fungens intercoſtales venas recepit. *

p. 76. Licet genitalia externa defecerint et interna manca admodum et mutilata fuerint, foetum tamen hunc ad ſequiorem ſexum pertinuiſſe ex partibus quibusdam praeſentibus Cl. Auctor collegit. Ita ouaria et Fallopianae tubae fere naturales adfuerunt. Defuit autem uterus, pariterque vagina et veſica urinaria. Renes, a naturalibus paululum declinantes, arterias et venas emulgentes ſuſceperunt, quae non ipſam ſubſtantiam eorum penetrantes, ſed ſuperficiem externam permeantes, ramulos quosdam ad interiora ablegarunt. Nullum praeterea ureterum veſtigium, nec ullae etiam, renibus diſſectis, papillae repertae ſunt, atque ſubſtantia ipſa vaſculis intertexta ut glan-

dula

* Si ex icone attentius conſiderata hanc venam diiudicamus, eſt ea certe azygos vena ex ſubclauia oriunda, poſtea fiſſa et iterum iuncta cum caua vena communicans.

dula fere visa fuit. Renes tandem succenturiati nulli.

Partibus his ita descriptis, consectaria demum annectuntur, quorum summa sequens est. Primo quaeritur: *An in conceptu et prima deinde conformatione omnium partium organicarum lineamenta, distincta, adfuerint integra, sed postea a causa in illa violenter actuosa, mutilata et deleta, vel in unum adacta, concreta?* Quaestio affirmatiue resoluitur. Partes enim examinatae et cum singulis naturalibus comparatae adfuerunt quidem, sed intortae, concretae, mutilatae et loco et figura errantes. p. 78.

Secunda quaestio est: *An ergo partes solidiores ad se inuicem applicatae, deinde compressione concretae et ingressu quasi unius in alteram conglutinatae molliores sibi appositas partes mutauerint, deformarint, concrescere fecerint et inter illas interpositas mutilando compresserint, tandem plane destructas deleuerint?* Affirmatiue iterum respondetur et partium musculosarum in primis exemplo confirmatur. p. 80.

Tertia quaestio est: *An potius partes omnes iam ita dispositae fuerint praeternaturales in primo flamine, ante et post conceptum, ut harum lineamenta deinde in informem figuram, sed naturalem illis, excretae sint?* Ad hancce quaestionem dubie quidem respondetur, sed ad affirmatiuam inclinare videtur Noster, idque ex eo, quod multa monstra, sibi inuicem exacte similia reperiuntur. p. 85.

Quarta tandem quaestio est: *An ante natiuitatem et ad primam respirationem, in utero degente foetu partes deformatae eandem habuerint figuram et situm ac post hanc? Et an post natiuitatem ad mortem usque per viginti quatuor horas in vita fuerint similes, quales illae post mortem sint inuentae?* Haec quaestio ita resoluitur: Cum extra omne dubium sit, respiratione exercitata nouas oriri mutationes, inde non incongruum etiam erit, si dixeris, partes quasdam deformatas p. 87.

poſt reſpirationem aliam quodam modo acquiſiuiſſe figuram et ſitum pauloque aliter eas poſt mortem quam in vita reperiundas.

De altero foetu, qui in tractatu poſteriori deſcriptus eſt, notamus, eum cum priore exacte conueniſſe, excepto eo, quod iſto maior et robuſtior atque appendicula eius deformata in hoc dextorſum inclinata et flexa ſit, cum tamen in priori ſiniſtrorſum ea flecteretur. Cum vero, foetu diſſecto et partibus eius diſquiſitis repertum fuerit, quod hicce ad exteriora cum priore conueniens etiam quoad interiora maximam partem huic itidem ſimilis apparuerit, in repetendis iſtis partibus deformatis longiores eſſe nolumus. Idem enim, quod antea commemorauimus, et hic eſſet dicendum; quod autem ad ea, quae in hoc paululum diuerſa reperit Noſter, attinet, iſta ſane haud maioris momenti exiſtimabis, ac quae quotidie in optime conſtitutis et perfecte formatis corporibus variare videris. Ex iis tamen, quae diuerſa in hoc foetu reperta ſunt, non nulla decerpere hinc inde liceat.

p. 30. Oſſa huius foetus in multis perfectiora fuerunt, quam ea, quae in priore foetu Cl. Auctor obſeruauit. In hoc enim prima coſta truncata ſternum non tetigit, inter muſculos quaſi firmata; tertia et quarta coſta utriuſque lateris concretae fuerunt, atque ſternum ſuperiori ſua parte coſtam ſecundam, loco primae, ſuſtinuit, et a dextro latere ſex tantum coſtarum cartilagines recepit. In poſteriori foetu oſſa haec pectoris et cuncta naturaliter viſa. Spina dorſi in hoc, paucis exceptis, fere perfecta, nihilque niſi in coccyge aliquid defuit, atque deformitas in oſſe ſacro viſa ab inflexione tantum dependit. In priori foetu lumbi infimi mire deformati fuerunt, imo os ſacrum et coccygis plane defuit. In utroque oſſa coxarum, peluim conſtituentia, ratione deformitatis valde ſimilia inter ſe fuerunt, differentiae tamen in

ſingulo

ſingulo notabiles. Ita oſſa ilium in priori foetu in unum os continuum concreuerunt, limbo cartilagineo integro ſuperius etiam cinctum, in poſteriori autem, cum os ſacrum integrum reflexum fuerit, oſſibus igitur concreſcendis impedimento fuit. Hae et aliae minoris momenti differentiae in oſſibus obſeruatae, infantes paululum a ſe inuicem diſtinxerunt.

Ad muſculos quod attinet, iſti in poſteriori foetu perfectiores fuerunt quam in priori; differentiae de reliquo non adeo notabiles. p. 57.

Viſcera et vaſa et in hoc et in illo pene eadem apparuerunt, excepta vena azygos, quae in poſteriori naturalis fuit. p. 75.

Sed mittimus alia, ne iuſto longiores ſimus. Certum interim eſt, magnam utrumque foetum inter ſe aluiſſe conuenientiam. In utroque enim partes inferiores ſibi inuicem valde ſimiles deformatae fuerunt, a qua deformatione et alia plura in abdomine immutata ſunt. Ita enim utroque chylopoieſis imperfecta, exitus foecum nullus, nullusque pariter uterus etc.

Ex Epilogo tandem non nulla adhuc adducere liceat. Cum ex cauſa eadem ſimilis oriri ſoleat effectus, mirum ſane non erit, ſi quando duo ſibi inuicem ſimilia repereris monſtra. Compreſſione enim et inuerſione partium prius facta, neceſſario ſequitur, partes alias mutari inſolitamque eas aſſumere figuram. Vterque iſte foetus monſtroſus iſtud confirmat. Differuntne autem iſti? Certe differunt quidem, et tamen ſimiles omnino manent. Ea enim differentia leuis eſt et talis, qualem v. g. in ouo cum alio ouo deprehendis. Nam impoſſibile eſt, talia in rerum natura reperire, quae in omnibus punctis exacte ſibi ſimilia ſunt; ſin autem inter plures partes detur analogia, dicendum tunc eſt, hoc vel illud corpus ſibi inuicem eſſe ſimile. p. 79.

p. 81. Sed quaenam in producendis duobus ſimilibus monſtris cauſa? Ea ſane latet, aſt dicendum tamen, eam eſſe fortuitam et accidentalem.

p. 82. Vnde vero factum, ut mira adeo deformitas in inferioribus utriuſque foetus partibus ſimilis oriri potuerit? Certe, ſi perpenderis, peluim quoad ſtructuram et capacitatem mire eſſe mutatam, rationem hinc omnino in promtu habebis. Cum enim ab hac corporis parte inferiores dependeant, cum etiam intra ipſam peluim, rite conſtitutam, viſcera quaedam locentur, ſane pelui deformata non ſolum inferiores inde dependentes partes pariter deformantur, ſed non nullae etiam, intra peluim alias reperiundae, partes, ob capacitatem iſtius valde imminutam, vel imminuuntur, vel in prima ſtatim origine, reſpectu incrementi ita impediuntur, ut prorſus dein euaneſcant. Pelui igitur deformata, femur hinc deformatur, hocque deformato crus deforme euadit; cuncta autem haec oſſa, praeter naturam conſtituta, neceſſario etiam praeternaturalis ſequitur muſculorum conſtitutio.

p. 96. Sed quaeritur tandem, num cauſa quaedam ante conceptionem in tenella ſtamina, ſiue in ſemine ſiue in ouulo ea haereant, agere poſſit, numque iſta ante conceptionem iam deformentur? Negari vix poteſt. Deformatio enim in tenella vix viſibili magis quam in euoluta nec adeo tenera parte locum habere videtur. Sed unde dein creſcunt eiusmodi partes? Vix hoc explicatione indiget. Idem enim hoc, quod naturaliter fit, et ibi commode fieri tunc poteſt.

At vero finem imponimus, et cui aliqua adhuc obſcuritas ſupereſt, eum ad ipſius Cl. Auctoris libros ablegamus, et icones in primis, rem iſtam ſatis illuſtrantes commendamus.

III.

III.

Vſus opii ſalubris et noxius, in morborum medela ſolidis et certis principiis ſuperſtructus a D. BALTHASARE LVDOVICO TRALLES, Med. Vrat. atque Acad. Caeſ. Nat. Cur. Socio. Sectio prima. Vratislauiae. Sumtibus Caroli Godofredi Meyeri. 1757. 4. alph. 2. pl. 3.

In octo capita librum hunc diuiſum deprehendimus, ita nimirum, ut primo hiſtoria generalis uſus opii et fatorum eius in praxi medica tradatur; ſecundo omnium phaenomenorum, quae opium aſſumtum in corpore humano inſequuntur, ſuccincta recenſio exhibeatur; tertio analyſis opii phyſico-chemica comperiatur; quarto primaria opii in corpus actio ex principio agente cognito per praegreſſam analyſin indagetur; quinto phaenomenorum poſt uſum opii emergentium aetiologia, ex actione opii primaria cognita in ſanguinem et neruos deducta apponatur; ſexto corporis humani diuerſus ad opium habitus conſideretur; ſeptimo correctiones opii inutiles et imaginariae enarrentur; octauo demum opii doſes ſubnectantur.

Ex ſingulis primaria momenta adducere liceat. p. 1. Hiſtoriam primo perlegentes varias de eius collectione ſententias animaduertimus. Sunt namque dicentes, lacrymam inciſo papaueris capite effluentem ſiccatam et collectam verum opium conſtituere, idque, quod ex contuſis papaueris partibus pararent, vilius pro meconio vendi. Alii aliam ſententiam fouent, et meconium vero opio haud debilius eſſe contendunt. Tandem etiam non nulli aſſerunt, iſtud in Europa collectum debilius multo eſſe orientali, quod tamen ii, qui opium methodo ab orientalibus uſitata colle-

collegerunt, falſum omnino eſſe affirmant et Europaeum iisdem plane viribus valere oſtendunt.

p. 7. His praemiſſis, laudes et vituperia opii commemorat Noſter, atque inter eos, qui opium inſigniter extollunt, HECQVETVM, qui vero de opio anxie ubique dehortantur, STAHLIVM in primis, et qui eum ſequuti ſunt, nominat.

p. 13. Papauer priſcis iam temporibus notum tutoque inter eſculenta ab hominibus receptum fuit, nullamque noxiam vim exſeruit, quod etiam noſtris temporibus varia ex papaueris ſemine praeparata edulia confirmant, hincque illa et ſuccum papaueris a capitum eiusdem plantae ſucco differre probant.

p. 15. Vires opii ſomniferae num HIPPOCRATI cognitae fuerint, ſatis quidem demonſtrari nequit, priſcis tamen temporibus ſectae in primis empiricae opium ceu tale remedium cognitum fuit, medicique tunc temporis et paulo poſt medicinam facientes eodem modo, ut noſtris temporibus factum fuit, opium vel uſurparunt laudantes, vel ceu noxium et periculoſum ex medicina exulari iuſſerunt. Verum hi non ſolum ſed et STAHLIANI adeo, licet opio infenſi fuerint, tamen philonio, mithridatio DAMOCRATIS, theriacaque ANDROMACHI, remediis vere opiatis et ob effectus ab opio tantum pendentes laudandis uſi ſunt.

p. 24. Opium PARACELSI in primis temporibus fautores reperit, frequentius ab eo tempore in morbis curandis uſitatum. Eorum igitur, qui opium non ſolum inſigniter extulere, ſed et qui caſtis debitisque laudibus iſtud proſecuti ſunt, meminit Noſter, atque quicquid de bonis opii effectibus ſtatuerint, breuiter expoſuit.

p. 33. Idem hoc, quod a multis ubique fere commendatum fuit, ſuis tamen oſoribus deſtitutum plane non eſt. Fuerunt enim ab omni aeuo, qui illud ceu venenum utcunque proſcribunt, nec ei ullum in medi-

cina

cina locum concedunt. Alii mitiorem ſententiam de eo fouentes laudarunt iſtud quidem, ſed venenum quoque, ſi intempeſtiuo uſu adhiberetur, idem inde nominarunt.

Laudibus his opii pariterque vituperiis eius ad- p. 36.
ductis ipſi Cl. Auctori nunc placuit determinare, quouſque opium remedium et venenum euadat. Iſtud enim ad remediorum claſſem indiſtincte referre aut inter venena idem hoc collocare ſemper, Noſtri ſententia non eſt, arbitrantis potius, pro variis, quas ſubiecta, tempus, doſes et morbi ſuppeditant, differentiis opium vel remedium vel venenum fieri et ad neutrius inde claſſem abſolute ſemper referendum eſſe.

Ne vero ii, qui praxin exercere ſtudent, et fau- p. 43.
torum vel oſorum ſcripta de opio legunt, titubantes in unam hinc vel alteram ſententiam abripiantur, praecipui ea propter auctores a Noſtro adducuntur, a quibus certus opii uſus diſci vere poſſit. Commendantur itaque Viri in arte Cll. SCHVLZIVS, WILLISIVS, SYDENHAM, WEDEL, PITCARNIVS, THOMSON, BORRICHIVS, RIEDLINVS, BOHNIVS, BERGER, BOERHAAVE, van SWIETEN, HOFFMANN, MEAD, PRINGLE et YOVNG; de quibus omnibus Noſter affirmat, eos caſte et caute de opio ſenſiſſe, ita, ut verus eius uſus ex eorum ſcriptis diſci omnino poſſit.

Propius nunc ad ſcopum Noſter accedens phae- p. 49.
nomena, opium aſſumtum in corpore ſequentia, prius recenſet, idque eo quidem fine, ut his rite expenſis certum quid et indubitatum de opio poſthac determinari poſſit. Varias ea propter experientias adducit, atque prima quidem, obſtantibus licet permultis, probare tamen annititur, *opio exhibito pul* p. 56.
ſum cordis et arteriarum adeoque omnem circuitum humorum intendi et accelerari. Errare inde dicit, qui contrarium ſtatuunt. Deceptos enim eos putat, quod

opium

opium mediocri doſi exhibitum, vitali flumine celerius proiecto, languorem circuli finita ſua operatione reliquiſſe, aut perniciſſimis pulſuum ictibus praeteruiſis breui ante mortem ipſam pulſum exilem et tardum fuiſſe obſeruarunt. Cum denique tot motus exorbitantes opio conſopiantur, multos inde deceptos, idque obſeruantes nimis praecipites de pulſu etiam ita iudicaſſe arbitratur. Verum non deſunt alii, quos conſentientes habet Noſter. Ita enim PITCARNIVS, THOMSON, FREINDIVS, BERGER, BOERHAAVE, HALLERVS, BVCHNERVS, HAMBERGERVS, HEISTERVS et alii, opium multos quidem motus ſiſtere, non nullasque corporis actiones cohibere, ſed vitales ab eo omnino augeri pulſumque in primis validiorem celerioremue reddi affirmant, atque adeo ceu verum cardiacum conſiderant.

p. 67. Experientia ſecunda primam confirmat. Hac enim Noſter oſtendit, *opium calorem corporis naturalem augere.* Cum autem nullus in corpore oriatur calor, niſi velocior praegreſſus ſit humorum circuitus, primum igitur aſſertum hac obſeruatione magis confirmari, Cl. Auctor putat. Fuerunt tamen omni tempore, qui frigefacientem vim opio, aſt male adſcripſerunt. Calidus enim opii deguſtati amaror, imo urens eius ſapor, ſubſequentesque, poſt deguſtationem, faucium inflammationes, opium non ad frigida ſed ad calidiſſima potius referendum eſſe, ſatis ſuperque docent. Vis haec opii calefaciens probatur ulterius, ſi attendamus, homines, opio aſſuetos, vino, ob defectum opii, aſſumto eadem experiri, quae ab opio, imo opium eosdem, quos vini alcohol ſalesque volatiles praeſtant, effectus exhibere, reique huius veritatem experimentis cum animalibus ipſisque hominibus inſtitutis confirmari magnorumque medicorum ſuffragiis ſuffulciri Noſter arbitratur.

Tertia

Tertia experientia Cl. Auctor ea, quae hactenus asseruit, ulterius confirmare studet. Dicit enim, *opio, sanguinem ab eo motum per vasa, et calidiorem redditum, rarefieri, attenuari eiusque volumen augeri*, idque experimentis, hanc ob causam ab aliis institutis, probat. Miscuerunt e. g. sanguini ex vena fluenti aliquot grana opii, tuncque sanguinem non solum non coagulatum sed fluidiorem multo obseruarunt; imo in canibus opio prius deuorato hincque mortuis apertis vasa insigniter distenta atque sanguinem tum arteriosum tum venosum tenuem et rarum repererunt. p. 78.

Experientia quarta, *opio respirationem citatiorem et difficiliorem reddi*, euincit. Haec nititur prioribus. Si enim sanguinis circulus ab opio intenditur, respirationem inde difficiliorem etiam fieri, necessario sequitur. p. 85.

Experientia quinta, *opio sanguinem celerius profluentem calidioremque et rariorem redditum copiosius determinari ad caput, probat.* Multi enim perhibent, opio assumto ruborem tumoremue faciei et oculorum caput graue et vertiginem obseruari, imo canum opio pastorum et viuentium craniis apertis vasa cerebri turgida et sanguine infarta repererunt, quodque alii narrarunt, propriis obseruationibus Noster ulterius confirmat. p. 87.

Experientia sexta, *opium pacare animum, eumque exhilarare atque alacrem et audacem reddere*, asserit. Id, gentium orientalium, quae hanc ob rem opio utuntur, aliorumque etiam hominum exemplis confirmat. p. 92.

Experientia septima, *opio temulentiam torporem et ebrietatem induci*, contendit. Paulo largiorem nimirum opii assumti dosin effectus isti sequuntur; cumque hi et antecedentes pari ratione a vino vel modice vel copiose assumto obseruentur, Noster ideo, opium cum vino comparandum esse, autumat. p. 98.

Expe-

p. 101. Experientia octaua *opio naturale acumen ſenſus obtundi et minui, eoque praeter naturam auctо, ſatis dolores ſedari*, exponit. Punctos enim, quibus opium exhibitum fuit, canes vix doloris aut ſenſationis ſignum dediſſe, experimenta inſtituta probant, imo omnium, qui ad ſedandos dolores opium exhibuerunt, experientia id omnino confirmat.

p. 105. Experientia nona *opio vires, motui animali ſtimulantes, debilitari* oſtendit. Canes enim a largiſſimis opii doſibus crura poſt ſe traxiſſe atque homines a largioribus eiusdem artuum relaxationem corporisque debilitatem ſenſiſſe, et ſomno artificiali excitatos exque lecto ſurgentes titubaſſe, obſeruarunt.

p. 116. Experientia decima, *opio ſomnum inuitari, interdum in altum ſoporem extenſum, huncque ingraueſcentem, accedente vera apoplexia et conuulſionibus necari*, probat. Prout enim opium in maiori minoriue doſi aſſumtum fuit, ſiue ergo ſomnus ſiue ſopor aut etiam apoplexia ſequitur, unde iterum opii cum vino aliisque ſpirituoſis conuenientia patet. Haec namque fluida et ſomnum et ſoporem vel apoplexiam inducunt, prout copia, qua ſumta fuerunt, ſe habet. Licet vero opium quietem inducere dictum ſit, tamen et immoderatam opii doſin tam in hominibus quam animalibus conuulſiones et mortem ſequi, multi annotarunt.

p. 120. Experientia undecima *opium dormientibus inſomnia, ab uſu autem eius in ſomnum non prolapſis, ſed vigilantibus manentibus phantaſmata et deliria parere, et non nunquam largiori vel chronico uſu inſaniam, ſtupidem, memoriae defectum, dementiam et fatuitatem poſt ſe trahere*, aſſerit. Cuncta haec multis auctorum ſuisque propriis obſeruationibus adſtruit Noſter, hoque effectus non ſolum opio intus aſſumto, ſed et externe emplaſtri forma applicito obſeruari perhibet. Notat etiam, omnes iſtos effectus in iis pariter obſeruari, qui vino copioſius uſi ſepulti quaſi iacent;

quid?

quid? quod torpidos, comatoſos ſtupidosque, qui crebrius opio utuntur, pariter reddi ac illos, qui quotidie Baccho litant, Cl. Auctor demonſtrat.

Experientia duodecima *opio ſtimulos venereos inferri* oſtendit. Pollutiones enim nocturnas, priapiſmum, penisque erectionem eos, qui opio utuntur, experiri, atque Chinenſes ad excitandum ſtimulum venereum opio perſaepe uti, obſeruationes tradunt, hincque ad aphrodiſiaca iſtud referendum eſſe multi arbitrantur. p. 129.

Experientia decima tertia, *opium excretionem cutaneam, diaphoreſin valide, et ut plurimum cum pruritu, mouere, ſed alias feroſas compeſcere* aſſerit. Obſeruatum nimirum et ab aliis et a Noſtro fuit, opio aſſumto excitari ſudores, ita ſaepe, ut ii, qui uſum eius per aliquot dies continuarunt, ſudore quaſi diffluxerint. Idem etiam, dum ab opio ſudarunt, huius odorem naribus excepere inſimulque pruritum in cute ſentientes efflorescentias etiam in cute animaduerterunt. Licet autem opio ſudor vere excitetur, alias tamen excretiones tunc imminui aut cohiberi Noſter aliique perhibent. Ita v. g. fluxiones bilioſae, pancreaticae, imo urinae excretio et in hominibus et animalibus, quibus opium datum fuit, interceptae ſunt. p. 131.

Experientia decima quarta *opium functioni ventriculi inimicum eſſe*, dicit. Hoc ſuo iam tempore CELSVS atque poſt eum alii quam multi obſeruarunt. Ventriculi enim inteſtinorumque tono poſt opium uſurpatum debilitato non ſolum βραδυπεψία, ſed et nauſea, interdum vomitus ciborumque faſtidium et diuturna famis tolerantia orta fuit. Eosdem hos effectus in canibus obſeruarunt, quid? quod canem, cui opium in venam duntaxat immiſſum fuit, per tres dies omnem cibum et potum recuſaſſe notant. p. 140.

Experientia decima quinta, *opio alui libertatem inhiberi*, aſſerit. Non ſolum enim copiolum alui fluxum eo ſiſti, ſed et opio uſurpato diu aluum adp. 143.

ſtrictam manſiſſe, ita, ut duriſſima dein exierint ſcybala, obſeruarunt. Liceat notabilem caſum ad confirmandam hanc obſeruationem breuibus huc transcribere. Foeminae nimirum phthiſi conſummata laboranti, aliis remediis fruſtra exhibitis, lac ebutyratum conceſſum fuit, cuius tres quatuorue menſuras quotidie ſumſit, omni tamen die mane et veſperi opio ſimul utens. Licet autem in tali phthiſeos ſtatu ſtales illae diarrhoeae alias ſaepiſſime obſeruentur, atque talis etiam, qua antea iam laborauit foemina, ob continuatum lactis uſum accedere multo magis potuiſſet, nulla tamen non ſolum obſeruata fuit, verum etiam alternis ſemper diebus foemina iſta ita indurata reddidit ſcybala, ut mannatis clyſmatibusque emollientiſſimis opus fuerit.

Hiſce itaque experientiis veros conſtantesque effectus hic annotatos communicare, alios autem caſu obuenientes et ab opio non minus, quam ab aliis obſeruandas et minus conſtantes omittere, Cl. Auctori placuit.

p. 149. Tranſeamus ad analyſin phyſico-chemicam capite tertio deſcriptam. Cum omnes illae partes, ut ſal opii volatilis, oleum cet. quas ceu conſtitutiuas opii aſſignarunt, ſed non niſi magna ignis vi elicere potuerunt, pro vere eductis a Noſtro minime habeantur; aliam igitur, veras opii partes conſtituentes detegendi, methodum elegit, ita tamen, ut ignem quidem adhibuerit, ſed lenem talemque, qui naturalem corporis calorem vix ſuperet. Tali enim adhibito partibusque inde prolectis veram magis naturam opii innoteſcere, perſuaſus eſt.

p. 155. Inſtitutis itaque experimentis opium primo, igni expoſitum, odorem grauem exſpiraſſe, dein aquam et ſpiritum vini cum opio mixtum et alembicum tranſcendentem manifeſto opii odore imbutum fuiſſe reperit. Porro aquae cum opio decoctae paruam portionem olei, odoris grauis, innatantem, tunc-

que

que gummoſas ope aquae, reſinoſas autem ope ſpiritus vini extractas partes multamque inſimul terram inertem deprehendit. Tandem etiam in ſpirituoſa opii tinctura, diu aſſeruata, cryſtallos ſalinas, cum alcali efferuescentes vidit, imo opio, aqua ſoluto, alcali admixtum motum aliquem inteſtinum excitaſſe obſeruauit.

Partes has conſtituentes effectus, gradu diuerſos p. 159.
in corpore humano edere, Noſter perhibet. Ita ii, qui Philonium, Diaſcordium etc. parant, opii principio vaporoſo afficiuntur et ſomnolenti fiunt, qualem effectum et aqua deſtillata et ſpiritus abſtractitius pariter praeſtant. Porro, ſi ſubſtantiae iſtius oleoſae, ſolutioni aquoſae innatantis, vel minima portio animali exhibetur, iſtud poſt paucas horas perit. Sique opii crudi decoctum aquoſum canibus in moderata doſi datur, hi ſomnolenti fiunt, calorem ſentiunt et ſudant. Opii diu ſuper ignem toſti magna copia aſſumitur, absque eo, ut notabilis oboriatur effectus. Nullum pariter effectum praeſtat reſina, poſt decoctionem opii aquoſam, ope ſpiritus vini extracta. Illud vero reſinoſum, quod ope ſpiritus vini absque praeuia coctione ſtatim extrahitur, vehementiores multo effectus in parca etiam copia exſerit, quam extractum aquoſum. Idem illud ſpirituoſum, ſi diu cum aqua coquitur, nullum plane effectum edit, quod etiam obſeruatur, ſi gummoſum ex reſiduo poſt ſolutionem cum ſpiritu vini factam extrahitur. Cum itaque omnis opii vis et cum aqua et cum ſpiritu vini alembicum tranſcendat, et iners remaneat poſt deſtillationem reſiduum; cum porro opium diu coctum omnem vim amittat, contraque leniſſime coctum aliquam retineat; cum tandem opii volatile principium exhiberi alias haud poſſit, niſi gummoſis et reſinoſis irretitum, Noſter proinde colligit, omnium effectuum cauſam a principio opii vaporoſo et volatili dependere, idque ita comparatum eſſe,

ut aliquam omnino cum aliorum narcoticorum principio volatili analogiam alat, iis quidem natura inertius, arte tamen magis volatile, magis penetrabile magisque actiuum et vehementibus narcoticis simile reddi possit.

p. 169. Opio chemice ita disquisito primaria nunc eiusdem actio in corpus ex principio agente cognito indagatur. Quicquid igitur SYLVIVS et WILLISIVS de vi opii in neruos aut cerebrum agente dixerint, falsum id Noster pronuncians et PITCARNIVM potius sequens, primariam opii actionem ex sanguine rarefacto dependere, statuit. Cum nimirum opio volatile et elasticum principium insit, ita, ut calore accedente id ipsum rarefiat, cumque etiam minima opii particula has dotes retineat, sanguinisque natura ad rarefactionem subeundam procliuis sit, Noster ideo, opium sanguini admixtum et calore corporis agitatum non solum ipsum expandi, sed et eo ipso sanguinem rarefacere, atque ceu fermentum in minima licet mole, omnem tamen sanguinis massam mouere, colligit.

p. 175. Cum autem omnes illi effectus, quos opium producere solet, a sola rarefactione non dependeant, saepissimeque prius obseruentur, quam opium sanguinis massam ingrediatur, Noster inde, opii vapores a neruis suscipi subitoque per corpus ob halituosum pariter fluidum in neruis reperiundum diffundi, autumat. Quomodo autem id in neruos vel eorum fluidum agat, pronunciare non audet, idque quidem eam ob causam, quia et fluidi neruei natura et singularis iste in opio deprehendendus principii vaporosi rectorisque spiritus character nos latet.

p. 186. Ast, cum ventriculi interior structura undique neruis constet, inde etiam opium, statim ac descendit illosque tetigit, in eos agit, suamque virtutem exercet, quae deinde longe lateque per corpus se diffun-

diffundit, ita tamen, ut in alia parte citius in alia tardius vis iſta deprehendi poſſit.

Licet autem opium, quam primum ventriculi p. 192.
neruos tetigerit, in eos agat, iſtius tamen operatio, nec a ſola actione in neruos, nec a ſola etiam rarefactione ſanguinis, ſed ab utrisque ſimul deducenda eſt. Vix enim vaporoſum principium neruos ventriculi aggreſſum eſt, quin maſſa inſimul ſanguinis alteretur; qua propter ab utriuſque mutationibus reliquos effectus omnes deducendos eſſe Noſter cupit.

At enim vero nihil de mutatione ipſa neruorum fluidique eorum proponere Noſter auſus ad ſolam hinc rarefactionem, ut pote euidentem, reſpicit et cuncta proinde exponit. Phaenomenorum igitur, poſt uſum opii emergentium, ſecundoque capite deſcriptorum, aetiologiam ex actione opii primaria cogita in ſanguinem et neruos deductam nunc tradit, eodemque ordine, quo phaenomena recenſuit, horum nunc cauſas proponit.

Primo nimirum cauſam, cur opium circulatio- p. 194.
nem ſanguinis fortiorem et celeriorem reddat, in rarefactione ſanguinis, hincque vaſorum praeternaturali diſtenſione, horum in contractionem reniſu, atque mutua inde ſanguinis et vaſorum actione et reactione ponit. Poſitis autem his reliquas ſecretiones faciliores, copioſiores celerioresque, hincque in primis fluidi neruei ſecretionem copioſiorem et expeditiorem fieri, aſſerit. Quibus cunctis ſimul declaratis crebriorem cordis motum, celerioremque inde circulationem ſanguinis demum deducit. Quam ob rem vero motus animales et naturales, vitalibus interim vigentibus et auctis, opio aſſumto vel langueſcant vel cohibeantur, ex ſanguine rarefacto et copioſius ad encephalon delato, et cerebrum comprimente, Noſter deducit. Cum autem neruorum cordis originem non in cerebello ſed in medulla oblongata ponat, haecque non a rarefacto ſanguine ſtatim

comprimatur, inde etiam rationem reddit, cur reliquis motibus ſilentibus, vitales tamen vigeant. Sed unde tandem cordis motus langueſcere incipit? Certe, ſi perpenderis, neruoſum fluidum a remedii huius actione omne demum mutari, et quietem uniuerſalem induci, cordis inde motum etiam ſufflaminari aut debiliorem reddi, reperies.

p. 201. His praemiſſis facile nunc reddi poteſt ratio, cur opium calorem corporis augeat, reſpirationem citatiorem et difficiliorem reddat, atque ſanguinem colefactum copioſius ad caput determinet. Circulo enim ſanguinis intenſo attrituque huius et vaſorum mutuo hinc auctо non poteſt non generari calor, inminuto autem et debiliori facto circulo, neceſſario etiam ſequitur frigus, quod itidem calore praegreſſo ab opio obſeruatur. Sanguine autem rarefacto et circulo intenſiori vaſa etiam pulmonis diſtenduntur, et magis magisque infarciuntur, inde crebior difficiliorque reſpiratio. Cum tandem ab opio ſanguis rarefiat, crebriorque circulus ſimul reddatur, ſanguis etiam copioſius ad caput aſcendit, ita tamen, ut iſte leuior et ſubtilior factus ſubtiliori inſimul opii vapore intermixtus ibi adpellatur. Quoniam vero encephali vaſa ob ſingularem ſtructuram reſiſtere et cedere nequeunt, maximus igitur ſanguinis commoti et rarefacti ab opio fit in caput appulſus, iſte ibi cumulatur, cerebri medulla comprimitur, atque igitur praecipua opii phaenomena eo deduci et declarari poſſunt.

p. 212. Aſt opium moderata doſi ſumtum cur animum pacare atque hilarem et alacrem reddere valeat, declarabis, ſi conſideraueris, arctum inter corpus et animam dari vinculum, hancque ea omnino ſentire, quae corpus afficiunt; ſique demum attenderis, ſanguine attenuato viribusque cordis auctis, crebriorem fecerni ſpirituum copiam, inde alacritatem et hilaritatem animi facillime cognoſces.

Cum

Cum autem opio, nimia dosi sumto, sanguinis p. 217.
massa magis intumescat, vasaque cerebri magis infarciantur, atque inde medullaris huius substantia comprimatur, ratio hinc quoque patet, cur opium nimia dosi sumtum temulentiam, torporem et ebrietatem inducat.

Cur opium acumen sensus obtundat et natos do p. 222.
lores sedet, Noster absolute non determinauit, sed multorum sententiis adductis tandem dubius quasi asserit, opium in neruos et cerebrum simul agere, motumque neruei fluidi affluentis ad partem et ab ea refluentis ad cerebrum alium praestare, et aequa vi compressione huius secretionem et influxum liquidi imminuere, hinc sensus obtundere doloresque sedare.

Causam, cur motus animales debilitet opium, in p. 231.
compressione cerebri, a sanguine rarefacto et copiosius ibidem delato facta Cl. Auctor quaerit hincque declarat.

Opium somnum inuitare interdum in altum so- p. 235.
porem extensum, huncque ingraueſcentem, accedente vera apoplexia, vel conuulsionibus necare Cl. Auctor obseruauit, idque, quomodo fiat, a rarefactione et compressis inde neruis, ita, ut nec secerni nec influere possint, deduxit. Atque si sanguis ita attenuatur, et distensionis compressionisue gradus eo usque increscit, ut vel nerui comprimantur, vel vasa nimis distenta omnem elaterem amittant, aut ob summam debilitatem disrupta liquidum effundant, Noster igitur pro lentae aut subitaneae compressionis gradu aut soporem profundum aut apoplexiam accedere, conuulsiones autem ab inaequali cerebri neruorumque compressione oriri, atque ad conuulsiones a repletione eas pertinere arbitratur.

Opium dormientibus insomnia, vigilantibus p. 253.
phantasmata et deliria parere, chronicamque adeo interdum amentiam et fatuitatem inducere, Cl. Au-

ctor annotauit; quorum effectuum cauſam itidem in vaſis encephali nimis repletis, ſanguinis effluxu et refluxu mutato, atque medulla ob iſtius inaequalem tranſitum fortius hinc agitata et irritata ponit. At chronicam fatuitatem et amentiam ab opii immoderato uſu relictam ex amiſſo penitusque abolito vaſorum nimis diſtentorum elatere deducit.

p. 257. Pari etiam ratione a ſanguine commoto eiusdemque volumine auctо ſtimulos venereos, opio uſurpato, obſeruatos deducit, imo, cum opium acrimonia manifeſta praeditum ſit, hacque omnem ſeroſam maſſam imbuat, eos inde a vellicatis irritatisque partium genitalium neruulis tenerrimis multo magis oriri, affirmat.

p. 259. Opium diaphoreſin valide et ut plurimum cum pruritu mouere et alias ſeroſas excretiones compeſcere, ſuperius dictum fuit. Huius effectus cauſam ſequentem Noſter agnoſcit. Cum nimirum hactenus demonſtratum ſit, quod opium circuitum augeat, dein calefaciat, porro ſanguinem attenuet et in globulos ſeroſos ſoluat, atque nerueas tandem et muſculoſas fibras relaxet, haeque dotes omnes ad promouendam diaphoreſin requirantur, huius ergo effectus cauſam facile quiuis perſpiciet. Cur autem reliquae excretiones ſeroſae ab opio cohibeantur, ex eo deducendum eſt, quia primo una excretione aucta, altera ſaepe imminuitur, tum etiam, quia partes, quae ad emittendum liquidum ſenſiles eſſe alioquin debent, opio quaſi obtunduntur et minus ſenſiles euadunt. Cum autem et hae excretiones ob ſpaſmum a materie acri vellicante imminutae ſaepe inueniantur, ratio quoque reddi poteſt, cur eaedem ſe et excretiones, quae ab opio cohibentur, ab eodem reſtituantur et promoueantur. Fibris enim a ſpaſmo contractis, nunc autem ab opio aſſumto reſolutis, neceſſario excretiones reſtituuntur. Ergo opium interdum excretiones compeſcit, interdum autem cohibitas reſtituit.

Opium

Opium functioni ventriculi inimicum esse, Cl. Auctor obseruauit. p. 269. Cum autem ad actionem ventriculi rite perficiendam, fibrarum eius musculosarum neruearumque irritabilitas et sensilitas requiratur, hae autem opio assumto sufflaminentur, causa ea propter patet, cur appetitus deleatur, et saburra in eo haerente, interdum ciborum fastidium, nausea et vomitus ab opio obseruentur.

Idem tandem opium alui libertatem cohibere an- p. 273. notauit. Causa non solum in perspiratione ab opio aucta, verum etiam in motu peristaltico languidiori facto vel cohibito ponitur. Perspiratione enim aucta aluum et absque opio sicciorem semper fieri, multi iam obseruarunt. Atque cum ad promouendas foeces aluinas motus intestinorum peristalticus omnino requiratur, hic autem ab opio cohibeatur, ratio inde patet, cur alui libertas opio assumto cesset. Verum, licet interdum aluus obstructa ab opio aperiatur, id tamen per accidens tantum fieri, Noster declarat. Saepe enim, spasmis obortis, scybala duriora retinentur, quibus autem solutis, ea demum excluduntur. Hunc casum si exceperis, semper ab opio alui excretionem impediri, obseruabis.

At enim vero opium unum eundemque effectum p. 276. in omnibus subiectis non edere, idque aliis nocere aliisque prodesse Cl. Auctor obseruans, sexto igitur capite diuersum corporis humani ad opium habitum considerat. Ibi namque ostendit, quod opium, cum sanguinem attenuet rarumque reddat, iis proinde, qui plethora laborant, corpusque succis plenum gerunt, magis officiat rariusque prosit, quam qui non adeo succulenti reperiuntur. Ast haec non sola causa: opium enim vasa laxa efficiens in iis, qui tali vasorum genere praediti sunt, haud bonum effectum edere, Noster expertus loquitur; contra vero robustioribus conuenire itidem affirmat. Cum tandem opium omnium neruorum compagem debilitet, iis

igitur, tali neruorum ſyſtemate inſtructis, raro illud conuenire autumat, hinc non niſi validioribus ſtimuque vaſorum genere gaudentibus propinandum, debilibus vero rariſſime tantum et parca ſatis copia exhibendum eſſe, ſuadet. Tandem et cutis habitum conſiderandum eſſe innuit. Quibus enim facilis et larga eſt perſpiratio, quiue ſub calidiori coelo viuunt, ita, ut perſpiratio largiter et facillime ſuccedat, ii omnes non ſolum opium melius ferunt, ſed et a largiori paulo doſi non adeo afficiuntur ac illi, quibus perſpiratio rara eſt, aut qui ſub frigidiori plaga vitam degunt.

p. 286. Cunctis his de opio expoſitis, capite ſeptimo de iis nunc agit Noſter, quae ad varias eius pro variis, quas de opio fouerunt, ſententiis uſitatas correctiones pertinent. Totum hoc caput perlegentes et accurate perpendentes, Cl. Auctorem in enarrandis refutandisque auctorum, de opio corrigendo ſententiis multum omnino fuiſſe, atque ipſam rem ita pertractatam deprehendimus, ut ei utcunque ſuffragari vix unquam dubitemus.

Sententiis eorum, qui opium correctione indigere contendunt, pariterque illorum, qui eandem reiiciunt, praemiſſis, Noſter, poſteriorum partes tenens, digreſſionem paulo facit, et exemplo mercurii et ferri, rem illuſtrare tentat. Ea enim remedia, aeque ac opium nulla correctione indigere probat, haecque cruda ſi exhibeantur, plus praeſtare, quam multis taedioſisque praeparationibus mutata, oſtendit. Aſt ad opium, pro frigido a veteribus habitum, iterum accedens, idque ceu remedium calidum conſiderans nullo plane modo calidis corrigi, parique paſſu recentiorum per acria, neruina, cordialia, purgantia, diuretica et alexipharmaca correctionem ambulare exponit.

p. 319. Per toſtionem, qua non nulli opium corrigere putant, vires iſtius non corrigi, ſed imminui, per

ſpiri-

spirituosa autem, quae a non nullis adduntur, illas crudi opii viribus efficaciores multo reddi, opiique extractum aquosum in eadem dosi, qua crudum exhibetur mitius agere, nec pro correcto inde habendum Cl. Auctor ostendit. p. 322. p. 326.

Licet autem opium acidis debilius multo reddi concedat, vere tamen istis haud corrigi, sed tantum, quoad vires in aequali, cum crudo opio, dosi exhibitum imminui autumat. Cum vero negari nequeat, opii effectus addito acido imminui, a contrario igitur opium alcalinis additis non corrigi, sed actiuum magis reddi Noster itidem arbitratur. p. 344.

Cunctis his rite perpensis et accurate expositis tandem Cl. Auctor concludit, opium nulla plane correctione opus habere, et ubi necessarium indicetur, crudum semper sufficere. Reiicit ergo omnia opiata, quae ceu correcta multi tradiderunt, laudat solum crudum, atque omnes illas correctiones opii principium non corrigere, sed vel vires eius imminuere vel augere demonstrat. p. 353.

Vltimo tandem cap[illegible] de dosibus opii Noster agens perhibet, gentes orientales opio sensim ita assuescere, ut a grano uno incipientes ultra drachmam quotidie demum assumant, et ob consuetudinem post hac omni die larga dosi istud deglutire cogantur. p. 355.

Ast et Europaeos opio ita assuescere posse, ut largas sane doses impune ferant, multis auctorum obseruationibus adductis probatum legimus. Quicquid autem consuetudini tribuendum, id tamen alias in eiusmodi casu nocere semper et de opio in primis valere animaduertimus. Opium enim minus assuetis larga dosi propinatum, eos interficere exempla a Cl. Auctore adducta confirmant. p. 362.

Tandem quod ad doses opii attinet, quibus in facienda medicina uti licet, a minima semper incipiendum Noster strenue innuit. Defectus enim remedii facile suppleri, excessus autem raro aut plane non p. 369.

emen-

emendari poſſe, monet. Hinc igitur medicis, opio utentibus, non ab uno ſtatim grano ſed a dimidio ſaltem incipiendum et ad duo ſenſim, doſin putſummam, aſcendendum, minori nempe nihil proficiente, ſuadet.

En itaque primaria, quae hinc inde decerpere licuit, momenta. Hunc ergo librum commendare non dubitamus. Eum enim non ſolum erudite et firmis argumentis elaboratum, ſed tot utilitatibus tantisque cautionibus refertum deprehendimus, ut dignum proinde eum iudicemus, qui ab omnibus, medicinam miſero hominum generi facientibus, legi omnino mereatur.

IV.

Pharmacopoeia Argentoratenſis Inclyti Magiſtratus iuſſu reuiſa et ad uſum hodiernum accommodata a Collegio Medico. Argentorati, ſumtibus Iohannis Gothofredi Baueri, 1757. fol. alph. 2. pl. 17.

Quae anno huius ſeculi viceſimo quinto primum edita fuit Pharmacopoeia Argentoratenſis, eam nunc recuſam, emendatam et hodiernae medicinae accommodatam accepimus. Comparauimus hanc nouam cum priori, et mutationes, quas perlegentibus animaduertere licuit, ſequentes notamus. Primo ea tantum remedia hic reperiuntur, quae medicis argentoratenſibus in uſu nunc ſunt; multa igitur in priori editione reperiunda, obſoleta imo inconcinna plane in noua hac proſcripta, contra vero noua et nunc uſitata adpoſita ſunt. Pretioſa deinde, nullis ſane viribus praedita, omiſerunt, viliora e contrario, viribus omnino valentia ſubſtituentes. Porro non nullas remediorum formulas correctas tradiderunt, omnes autem in hac ſecundum ordinem alphabeti-

phabeticum disponuntur, quas tamen in priori secundum classes coordinatas reperies. Tum index etiam, ob inscriptiones remediorum in aliis persaepe variantes subnexus est. Tandem plura in aliis pharmacopoeis descripta remedia, ob compositionis praestantiam, iisdem verbis in hac, ut in illis, describuntur.

Comparauimus etiam hanc Pharmacopoeiam cum Würtembergensi, atque maximam partem remedia, quae ibi reperiuntur, et in hac, Würtembergensi nimirum, animaduertimus. Aſt mutata tamen non nulla, quaedam etiam omiſſa atque noua, quae ab annis aliquot in uſu eſſe coeperunt, appoſita tandem deprehendimus. Non ingratum igitur Lectoribus noſtris fore ſperamus, ſi non nulla, quae partim mutata partim noua prorſus ſunt, illuſtrationis gratia apponamus. Mutatum v. c. animaduertimus crocum martis aperientem. In Würtembergensi enim pharmacopoeia iſte ex vitriolo martis, aqua ſoluto et alcali praecipitato, in hac autem ſequenti modo paratur: Sumitur nimirum limatura martis, quae in patina extenditur, aqua humectatur, radiis ſolaribus expoſita ſiccatur, dein teritur, iterum humectatur, iſque labor tam diu repetitur, uſque dum omnis martis limatura in puluerem croceum abeat. Mutatum etiam deprehendimus Electuarium Diaſcordii FRACASTORII. In Würtembergensi namque uncia huius remedii una opii grana duo, in hac autem uncia una totidem opii grana duasque tertias in ſuper grani partes continet. Differt de reliquo haec noſtra ab illa Würtembergensi quoad componendi modum aliudque remediorum ingredientium pondus obſeruatum hic fuit. Sed ſufficiant haec, tranſeamus ad ea, quae ceu noua officinalia conſideramus. Ita appoſitum et inter officinalia remedia ſuſceptum reperimus iſtud ab annis aliquot cognitum et in dyſenteria aliisque fluxibus laudatum vitrum antimonii ceratum, quod,

quod, uti notum eſt, ex vitro antimonii contuſo, cerae mixto et ſuper ignem lenem in puluerem brunnum redacto paratur.

Sed mittimus alia, ne iuſto longiores videamur. His enim, quae adduximus, conditionem huius Pharmacopoeiae quodam modo indicari, arbitramur. At enim vero, licet a pluribus remediis inertibus hanc pharmacopoeiam repurgare anniſi ſint, tamen hinc inde quaedam adhuc reperiuntur, quibus commode etiam carere potuiſſet. Proſtat e. g. in ea adhuc lapis haematites, hyacinthus et nephriticus praeparatus, de quibus autem dubitamus, quin unquam bonum aliquem effectum edere in corporibus valeant.

V.

EPHRAIM KRVGERI Diſſ. Inaug. de Neruo phrenico, Lipſiae. 1758. pl. 6. tab. 2. aen.

Expoſita neceſſitate difficilis diſquiſitionis neruorum, neruique phrenici denominatione et deſcriptione generali, illorum ceruicis, ex quibus hic
p. 7. oritur, octo paria aſſumit Cl. Auctor GALENI, deinde RIOLANI, WILLISII, VIEVSSENII et WINSLOVII aliorumque de phrenico ſententias examinat,
p. 17. et tandem iconis ſuae atque deſcriptionis rationem
p. 19. exhibet. Proponit itaque primum totius nerui progreſſum, et nexus eius cum intercoſtali, atque ea, quae in latere dextro cadaueris adhibiti inuenit, deſcribit et varietates in latere ſiniſtro eiusdem, nec non decem antea diſſectorum cadauerum, rationi nexus illius obſeruatas atque alia, quae cum aliorum auctorum obſeruationibus comparauit, ſubiungit.
p. 20. Cum itaque phrenicus ſua initia ex ceruicalibus colligat, filamentum a tertio primam, a quarto, ſecundam, et a quinto pari deductam tertiam radicem appellat. Secunda tamen, ut dicit, primaria eſt et vel

ſimplici

ſimplici vel multiplici filamento oritur, ita, ut primum ſtatim poſt egreſſum dicti paris ex interſtitiis vertebrarum plerumque ſecedat, et vix non ſemper reliquis craſſius ſit, cui ſequentia, poſt quam per aliquot plerumque lineas ſeparatim deſcenderint, ſucceſſiue inſeruntur. Vidit tamen interdum, ubi duplici principio oriebatur neruus, alterum demum ſupra inferiorem partem muſculi ſcaleni inferioris connecti. Sic ortus neruus muſculis vicinis non nunquam ſurculos dat, et ulterius a latere rami arteriae thyroideae adſcendentis externo ſupra par quintum, cui plerumque arcte adhaeret et ſupra muſculum ſcalenum anteriorem deſcendit, ac ab illo ſemper nouam acceſſionem accipit in variis ſubiectis vario modo conſpicuam. Interdum enim accedit unicum filamentum, interdum duo. Alterum, quod internum dicit, non ultra aliquot lineas ante inſertionem in phrenicum ſeorſim deſcendit, alterum autem, quod exterius erat, vel mox inſeritur, vel ſeorſim ſupra venam ſubclauiam a latere externo nerui phrenici thoracem ingreditur et cum eo committitur. Is enim poſt extremitatem anteriorem clauiculae in pectus intrat et pone venam ſubclauiam ante arteriam eiusdem nominis, ubi interdum paruulos ſurculos dimittit a latere paris vagi oblique anteriora verſus procedit. Hoc filamentum, quod VIEVSSENIO a pari ſexto oritur, plerumque a quinto exortum muſculo ſubclauio ramulum dare vidit. Interdum eundem neruum in tres ramos diuiſum fuiſſe, obſeruauit. Ipſe phrenicus in pectore ſecundum longitudinem p. 22.
mediaſtini, cui lateraliter agglutinatur, ante radicem pulmonum deſcendit. Dexter magis interior apparet, quam ſiniſter, qui illo tamen eſt longior. Ambo tandem ſine ulteriori ramificatione in diaphragmatis muſculoſam partem diſtribuuntur. Ramos enim ad cor eiusque plexus ſecedentes, ut LANCISIVS ſcribit, nunquam vidit nec illos VIEVSSENII ad

pericar-

pericardium venientes. In unico tamen cadauere phrenicum in duos ramos diuiſum obſeruauit, quorum unus modo conſueto deſcendebat, alter autem antrorſum magis pericardio ſine ulla ramificatione ad-
p. 24. haerens ad diaphragma progrediebatur. Structuram vero et icone illuſtratam diſquiſitionem nerui huius et nexus eius cum intercoſtali in cadauere viri robuſti XXVI annorum inſtituit Noſter et ita explicat: *a latere interno ſecundae nerui radicis ſecedens ramus ſupra muſculum ſcalenum anteriorem interiora verſus deſcendebat, et in hoc deſcenſu muſculo recto cui duos dabat ramulos, duos ab ipſo phrenico iterum recipiens. Duos circiter pollices ab origine ſua progreſſus nouo ab ipſo phrenico furculo augebatur, et paulo poſt in neruum intercoſtalem inſerebatur. Porro ab eodem latere nerui phrenici ſupra par quintum conſtituti prodeniens neruulus, cum per ſpatium unius circiter pollicis deſcendiſſet, in duos diuidebatur ramos, quorum unus cum anſa intercoſtalis circa arteriam ſubclauiam formata connectebatur, alter autem ad phrenicum iterum peruenichat. A latere radicis ſecundae externo ſecedebat filamentum et aliud a pari quarto. Haec in unum confluebant neruum, qui nouum furculum a phrenico accipiens ad hunc alium mox remittebat. Ipſe autem in ulteriori ſuo deſcenſu de nouo a phrenico neruulum recipiebat, a quo ſimul alius ad par quintum accedens iterumque cum phrenico communicans et ſcaleno laterali ramulum mittens ſecedebat. Supra par quintum autem dictus nerus conſtitutus, altero a phrenico augebatur et paulo poſt in duos ramos diuidebatur, quorum internus ſuper phrenicum ad anſam intercoſtalem veniebat, externus autem in duos iterum ramos diuiſus, unus ad muſculum ſterno Thyreoideum, altero ad ſubclauium tendebat. Tandem par quintum formabat neruum in tres ramos diuiſum, quorum internus erat nerui phrenici radix tertia, medius ad pericardium et externus ad muſ-*
p. 25. *culum ſubclauium perueniebat.* Repetiit obſeruationes a latere

latere ſiniſtro, et nexum phrenici cum intercoſtali, illi WILLISII quodam modo ſimilem nec non alios vidit, quorum varietates ulterius exponit et obſeruationibus illuſtrat. Nexus quoque cum aliis neruis factos conſiderat et TH. BARTHOLINI ſententiam de nerui phrenici ſurculis in maxillas et labia progredientibus reiicit, nec non fibram eiusdem nerui diſquirit, quae a VIEVSSENIO delineata, pari ſecundo dorſali unita, neruo intercoſtali coaleſcit, et quam, ſi adfuit, vel a pari ſexto vel quinto oriundam conſpexit, conſpexit et alios nexus horumque varietates. Vſum demum exponens phrenicum vires motrices diaphragmati afferre, illius vero ortum remotum atque deſcenſum rectum ad motum legitimum diaphragmati conciliandum fuiſſe neceſſarium colligit, atque ulterius rationem eius cum aliis connexi declarat in ſternutatione, tuſſi atque ſingultu ſpeciatim oſtendit, et riſum tandem Sardonium exponit. p. 31. p. 34.

VI.

CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG Programma, quo obſeruationem, quae viam bilis cyſticae declarat, proponit. Lipſ. 1758. pl. 2.

Praeter alia, quae in cadauere foeminae 44 annorum notatu digna Cl. Auctor inuenit, veſicula fellea triplo ad minimum maior, quam ea in ſtatu naturali eſſe ſolet, longeque denſior, prorſus alba et calloſa atque lapillis referta accumbebat partim duodeno, maxime colo, quae tamen transſudante bile non tingebat. Ductus hepaticus, qui vicino duodeno colorem flauum imprimebat, ubi cyſticus limites illius et choledochi conſtituebat, pollicis ſuperabat diametrum; primi quoque eiusdem rami ex hepate progredientes diſtenſionis ſimul participes erant, nec non choledochus, qui ob diſtenſionem

ex continuatione ſolius hepatici oriri videbatur, huic ſimilem amplitudinem habebat. In his maxima erat collecta bilis copia non diluta et flaueſcens, ſed ſpiſſa obſcurioris coloris et maxime amara. Ductus etiam cyſticus in loco inſertionis ad choledochum ad trium circiter linearum amplitudinem erat diſtentus, iuga tamen valuuloſa non prorſus euanuerant. Ab illo autem loco ad pollicis ferme diametrum diſtentus, calculis repletus et durus et calloſus reperiebatur. Inde producta ampla veſicula fellea calculis quoque et duabus circiter unciis liquoris cuiusdam replebatur. Liquor bilis colorem utcunque referebat, tenuis tamen erat, odoris expers et vix amara, nauſeoſi tamen quid guſtu percipiebatur, quod in omnibus ſtagnantibus humoribus corporis humani occurrit. In calculis, quorum numerus ultra 166 aſcendebat, nucleus internus reſinae ad inſtar ſplendens, maxime obſcurus et fuſcus, ſtrata vicina flaua quodam modo reliqua alba magis, externum tamen fuſcum et albo atque viſcido muco obductum apparebant. Declarat inde Cl. Auctor viam bilis. Ductus nimirum hepatici ſi etiam in viciniam cyſtidis veniunt, ad illam nunquam deducuntur; nullius enim veſtigium deprehenditur, ſi tela celluloſa, quae cyſtidem et hepar intercedit, flatu diſtenditur. Si vero exiſterent, illorum certe praeter modum extenſorum veſtigia, denegata etiam bilis in veſicula collectione, in hoc cadauere obſeruata fuiſſent. Ipſa vero cyſtis, quae ex ſua ſubſtantia tenue tantum unguinoſum ſerum vel mucum paulo ſpiſſiorem exſudat, etiam hoc in caſu veram bilem non exhibuit et quamuis lapillorum nucleus fuſcum, et ſuperficies externa ſimilem colorem referret, maxima tamen lamellarum pars pallide lutea et ferme alba fuit. Hinc ex hepatico ductu ad choledochum delatae bilis ingreſſus in cyſticum egregie cognoſcitur. Ante morboſam enim foeminae diſpoſitionem bilis vere ad

cyſtidem

cyſtidem tranſiiſſe certum eſt, cum primordia calculorum in nucleos colore bilis tinctos coniuncta fuerint; ductu autem cyſtico obſtructo ipſe hepaticus et choledochus collectionem biles admiſerint.

VII.

Verſuch zu einer gründlichen Vertheidigung derer Saamenthiergen; nebſt einer kurzen Beſchreibung derer Leeuwenhoeckiſchen Mikroſkopien, und einem Entwurfe zu einer vollſtändigern Geſchichte des Sonnenmikroſkops, als der beſten Rechtfertigung derer Leeuwenhoeckiſchen Beobachtungen, von MARTIN FROBENIVS LEDERMÜLLERN, *Not. und Procuratorn zu Nürnberg. Mit Kupfern verſehen. Nürnberg, bey George Peter Monath, 1758. 4. 8½ Bogen, 6 Kupfertafeln.*

h. e.

Tentamen ſolidioris defenſionis animalculorum ſpermaticorum, cum breui deſcriptione microſcopiorum LEEVWENHOECK. Accedit adumbratio perfectioris hiſtoriae microſcopii ſolaris, ceu optimae defenſionis obſeruationum Leeuwenhoeckianarum. Auctore MARTIN. FROBENIO LEDERMÜLLER, Notar. et Procuratore Norimbergenſi.

Ediderat Cl. LEDERMÜLLER anno 1756, ſub epiſtolii ſpecie, phyſicas de animalculis ſpermaticis obſeruationes, quarum mentionem in praecedenti volumine commentariorum * noſtrorum breuibus fecimus. Harum defenſionem in praeſenti tentamine

* Vol. V. Part. IV. p. 602.

tamine ſuſcipit, easque nouis obſeruationibus, nouisque argumentis confirmat. Praemiſſa praefatione, quae ſtatum controuerſiae exponit, ad ipſam accedit
p. 1. defenſionem. Hanc *duabus ſectionibus*, in quas omnem libellum diuidit, praeſtat. *Prior ſectio* probat, non ſolum dari in ſemine maſculino animalcula ſpermatica, ſed ea etiam vere vita eſſe praedita. Prouocat igitur denuo ad praegreſſas obſeruationes, et ad teſtes qui prioribus experientiis adſtiterunt. Multum hac occaſione conqueritur de diffidentia, quam non nulli non ſolum in ſua, ſed et in ſuorum teſtium fide poſuerunt, quum tamen non fuiſſet primus, qui talia affirmaſſet. Completum igitur exhibet catalogum eorum ſcriptorum, qui haecce animalia ipſi viderunt, eorumque exiſtentiam ac vitam in ſcriptis probarunt, inter quos non minorum gentium dii, ſed celeberrimi reperiuntur viri. Plerique quidem crediderunt Cl. LEEVWENHOECK inuentorem, primumque obſeruatorem horum fuiſſe animalculorum: ex SCHRADERI tamen *diſſertatione epiſtolica de microſcopiorum uſu* commonſtrat, Dr. HAMM, *Batauum*, ea ante LEEVWENHOECK vidiſſe atque obſeruaſſe; cui opinioni etiam acceſſiſſe et Cl. WOLFFIVM, et Ill. HALLERVM. Poſt HAMM et LEEVWENHOECK adducuntur HARTSOECKER, HVYGENS, SWAMMERDAMM, HOOCKIVS, BOERHAAVE, LISTORP, NIC. ANDRY, RÜDIGER, WOLFFIVS, OBERMANN, DIETRICH, LIEBERKÜHN*, et MAVPERTVIS, qui omnes ſe animalcula

* De LIEBERKÜHN, ex familiari cum ipſo conſortio ſcimus, illum omnino non probaſſe, HAMBERGERVM ſtatim edidiſſe epiſtolam ſuam ad eum familiariter datam, qua cum illo obſeruationes quasdam communicauit, non ut illas publici iuris faceret, ſed ut eius de his experiretur ſententiam. Minime enim et ipſe illas, quod nempe ad animalculorum figuras, quas

cula vidisse fatentur *. Inter defensores animalcu- p. 11.
lorum nominat MYLIVM, WINCKLERVM, HALLERVM, LESSER, NEEDHAM, et IO. FR. CARTHEVSER, qui ambo tamen ultimi illa se et obseruasse testantur. Quando autem Ill. HALLERVS in *Primis lineis physiologiae*, §. 786, scripsit: *in liquore corporis lutei talium animalculorum similia* reperiri, huic omni, qua decet, modestia contradicit, negatque se quidem illa unquam inuenire potuisse. Assensoribus, p. 14.
qui publicum scilicet plausum suae dederunt sententiae, adnumerat, GOTTSCHED, POLEY, DELI p. 18.
VM, DE WINDHEIM et ARNOLD. Sequitur *sectio secunda*. Haec continet contradictiones et obiectiones, quibus alii praecedentium scriptorum fidem suspectam reddere, et animalculis existentiam et vitam denegare ausi sunt. Agmen ducit LYONET, cuius conatus nuper demortuus MYLIVS in peculiari ad RICHARDVM epistola refutauit. Ad hunc accedit Cl. BVFFON, quem Ill. HALLERVS in Praefa-

 tione

quas pro diuerso animalium genere, ex quibus sperma sumtum fuit, differentes inuenit, attinet, pro tam firmis, ac sufficienti experientia stabilitis habuit, ut systema his superstrui posset. Repetere enim et recoquere illas voluit, qua in re autem molesta praxi, et morte praematura praepeditus fuit. Vt haec notescant, reuerentia poscit, quae piis manibus LIEBERKÜHN debemus, ne quis, qui haec aliter inter experiendum inueniat, eum incuriae vel doli accuset.

* His ex commercio nostro literario addere possumus Ill. VAN SWIETEN, qui in literis nuper ad nos datis scribit: *animalcula seminalia toties vidi et in semine diuersorum animalium, piscium, ut de illorum existentia dubitare nequeam.* LEEVWENHOECK *noster millenis ostendit spectatoribus. Optimo cum* LIEBERKÜHN *vidi frequenter.* Nos quoque, qui haec scribimus, aliquoties haec animalcula contemplati sumus, et semper mouentia ac viua reperimus.

tione eius hiſtoriae naturali, in germanicam linguam translatae, praemiſſa, refellit. Studio praeteriit Cl. Auctor GENDERVM et NIGROSOLVM, quia talia protulerunt dubia, quae illum non tangunt. Primus ergo, quem ſibi redarguendum ſumit, eſt M. SCRINCI, *Bohemo-Pragenſis*, qui in *Diſſertatione inaugurali philoſophica de principio aut cauſa corpus animale formante etc. Altorffii*, 1756 habita, LEEVWENHOECK circa animalcula ſpermatica obſeruationes ludibrio habere, et phantasmatum nomine notare conatus eſt. Hunc pari moneta remunerari ſtudet Cl. Auctor, illumque ad experientias remittit, quas accuratius inſtituendas monet. Meminit quoque diſſenſus, quem memoratae diſſertationis auctori apertis verbis, in gratulatione adiecta, declarauerunt Cll. WEISS et ADELBVRNER, Profeſſores Altorfini doctiſſimi. Alter in ordine eſt Cl. ASCH, *Petropolitanus*, cuius *Diſſertatio inauguralis medica, de natura ſpermatis obſeruationibus microſcopicis indagata* 1756 *Goettingae* prodiit. Merito taxat Noſter Cl. ASCH, quod in adductis, et ope microſcopii cum ſpermate inſtitutis experientiis non addiderit, quale adhibuerit microſcopium, cuiusque diametri applicuerit lentes? Num microſcopio ſolari etiam uſus ſit? et quae ſunt reliqua. Minime miratur Noſter, cur Cl. ASCH in ſpermate, non prius quam hora quarta poſt emiſſionem, examinato, nil niſi bullulas aereas, nulla vero animalcula detexerit: quod iucundum ſpectaculum multo minus expectare potuit, quum in *obſeruatione duodecima* vetus et iam foetens adhibuit ſemen. In *Obſeruatione* quidem *decima quinta* recens in uſum vocauit ſperma Cl. ASCH, ſed quoniam et tunc ſolum modo *motum, qui non ad unam plagam tetendit, ſed huc illuc conuerſus confuſusque fuit*, non vero animalculorum caudas obſeruauit, iure Noſter inde colligit, cauſam in microſcopio latuiſſe, et Cl. ASCH caruiſſe lente, qua corporum ſuperficies ſufficienter

p. 23.

cienter augentur. Accedit et hoc, quod frigidam aquam affuderit, qua animalcula certe necauit. Vt vero artificium pateſcat, quo uſus eſt Cl. Auctor ad ſiſtenda et monſtranda in ſemine animalcula, microſcopium, inter quae ſimplex compoſito ſemper praefert, deſcribit, et ſuarum lentium vim augendi, et rationes exponit. Deinde requirit, ut ſemen examinandum vitris, ad formam patinae factis, excipiatur, pauca tepida diluatur, et experimentum die lucido et claro, vel nocte, ſufficientibus luminibus illuſtrata, inſtituatur. Poſt haec non nullas cautelas adnectit, quae tam ratione microſcopii, et machinamentorum ad hoc pertinentium, quam ratione ſeminis examinandi obſeruari debent, quas lectores ex Cl. Auctore ipſo perdiſcent. Poſtremo ad quasdam obiectiones, illi et in litteris, et coram factas, reſpondet, palamque profitetur, licet de praeſentia et vita animalculorum in ſemine certus atque conuictus ſit, ſe tamen illorum uſum atque finem cum pluribus adhuc ignorare. Interea Cl. Auctori magna ſimilitudo intercedere videtur inter animalculum ſpermaticum, et vermiculum, qui in ouo incubato obſeruatur, cuius celere incrementum et mutationem MALPIGHIO deſcribit, eiusque figuras huc transferri curauit. Sequitur nunc breuis deſcriptio microſcopiorum ſimplicium LEEVWENHOECK, quae Londini in bibliotheca Societatis regiae Anglicanae aſſeruantur, et quorum delineationem celebris Londinenſium Mechanicus CVFF exhibuit. Appendicis loco accedit conciſa expoſitio microſcopii ſolaris eiusque originis, qua Cl. Auctor probabile reddere annitur, LEEVWENHOECK iam notum fuiſſe microſcopium ſolare, eiusque uſum. Animalculorum ſpermaticorum inficiatores et aduerſarii LEEVWENHOECK obiecerant, illum multo grandiores figuras animalculorum ſpermaticorum exhibuiſſe, quam eae ope microſcopii ſimplicis, etiam optimi, apparerent.

p. 26.
p. 29.
p. 37.
p. 40.

rent. Vt illum defenderet, mauult aliquid famae optimi LIEBERKÜHN derogare, quam LEEVWENHOECK. Omnem igitur nauat operam, ut probet LEEVWENHOECK iam cognitum fuiſſe microſcopium ſolare: hoc poſito ad modum probabile illi videtur, animalculorum figuras, a LEEVWENHOECK exaratas, eſſe depictas, ſecundum figuras, ope microſcopii ſolaris, in pariete formatas. Argumenta autem a Cl. Auctore ideo prolata, minime, ut verum fateamur, nobis ita comparata viſa ſunt, ut nos de Cl. Auctoris opinione conuincerent. Neſcimus enim cur b. LIEBERKÜHN, ceu germano, et conterraneo, inuentionis gloriam eripere debeamus, quum Angli *, et inter hos ipſe CVFF ** et Galli *** uno ore Cl. LIEBERKÜHN illam tribuunt, et eum

* Philoſophical Transactions Vol. XLI. Part. II. for the Years 1740. 1741. Loquitur ibidem Cl. BAKER de ſolari microſcopio ſ. Camera obſcura, et de alio ad corpora opaca contemplanda apto, et ſic pergit: Both theſe Inventions we are obliged for to the ingenious Dr. LIEBERKÜHN, who, when he was in England laſt Winter was Twelvemonth, ſhewed an Apparatus of his own making, for each of theſe Purpoſes, to ſeveral Gentlemen of this Society, as well as to ſome opticians.

** *Dans la Deſcription d'un Microſcope de poche, et du Microſcope ſolaire ou du Microſcope de Chambre obſcure, qui ſe fait, et ſe vend à Londres chez* IEAN CVFF, *dans Fléeſtret* etc. p. 6. le Microſcope n'a pas été inventé en Angleterre. On ne l'y avoit jamais connû, quand le Docteur LIEBERKÜHN, Medecin Pruſſien, vint d'Hollande ici, il y a environ trois ans, et nous l'apporta.

*** SAVERIEN *dans le Dictionnaire univerſel de mathematique et phyſique, à Paris* 1753. Tom. II. p. 155. Sous l'article *Microſcope ſolaire*: *On doit ce merveilleux Microſcope au Docteur* LIEBERKÜHN, *qui le communiqua à la Societé Royale de Londres environ l'an.* 1740.

eum tanquam inuentorem citant, atque celebrant. LEEVWENHOECK autem ipſe, ne verbulo quidem in *Arcanis naturae* et *Epiſtolis*, microſcopii meminit ſolaris. Quod neque ab eius contemporaneis factum eſt. Quae enim Cl. Auctor de laterna magica eiusque uſu microſcopico, quo obiecta, lampadum ope, illúminari, et aucta ſuperficie in pariete albo repraeſentari queunt, habet, et in ſuae opinionis defenſionem vertere contendit, de his Cl. Auctori fidem noſtram dare poſſumus, eadem nobiscum iam pridem b. LIEBERKÜHN communicaſſe. Num autem Cl. WIDEBVRG, Profeſſor Erlangenſis, in nuperrime edito tractatu, cuius mentionem Noſter in fine facit, noua et nobis incognita praeſtiterit, adhuc ignoramus, quum eius ſcriptum ad noſtras nondum peruenit manus. Reſtant pauca de equuleo, ſeu p. 47.
microſcopio anatomico LIEBERKÜHN, quod Cl. Auctor loco aurichalci, pretii cauſa, ex ligno parari curauit, id quod iam dudum a LIEBERKÜHN factum eſt. Tale enim ex ligno paratum microſcopium tribus nummis imperialibus multis ab hinc annis Berolini emi potuit. Quod reliquum eſt, opus habemus, ut merita Cl. Auctoris circa expoſitionem et defenſionem animalculorum ſpermaticorum praedicemus, eiusque operam, ſtudium et ſollertiam laudemus. Omnia enim praeſtitit, quae lectores de animalculorum ſeminalium exiſtentia conuincere queunt. Hoc unicum adhuc noſtros lectores ſcire volumus, Cl. Auctorem non ab Aeſculapii ſed Themidos ſacerdotibus ſacrorum ſollemnibus initiatum eſſe, qua de re eo maiori honori hicce ei vertendus eſt labor.

VIII.

D. CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG, Therapiae P. P. O. Facultatis Med. Decani, Academ. Decemuiri, Colleg. Mai. Princip. et B. M. Virg. Collegae, Academ. Reg. Boruſſ. Scient. Sodalis Inſtitutiones Medicinae Clinicae praelectionibus Academicis accommodatae. Lipſiae, apud Ioh. Fridr. Gleditſch, 1758. 8. alph. 1. pl. 11. ſine praefat.

Quem finem ſibi propoſuerat Cl. Auctor, adhunc feliciter nunc pertigit. Abſolutis enim inſtitutionibus phyſiologiae *, pathologiae ** et therapiae generalis ***, therapiae quoque ſpecialis, ſiue medicinae clinicae, inſtitutiones addere ſpoponderat, cuius promiſſi datam nunc liberauit fidem. Quae inſtitutiones, cum rationem inter ſe habent, ultimique huius libelli veritates priorum fundamentis nituntur atque excipiuntur, merito lectoribus praecedentium inſtitutionum memoriam reuocamus. In praefatione Cl. Auctor ſtudiorum ſuorum rationem reddit, quaque via, quibusque ducibus ad medicinam faciendam venit, refert, additque momenta atque conditiones, quibus ad componendas inſtitutiones impulſus fuit: Tandem pro indefeſſo ſuo, quo aliis inſeruiendum ſtudet labore, aduerſaria medico-practica ſe adhuc editurum eſſe ſpem facit, quare ut exercitatiores practici ſuas conferant operas, rogat.

p. 3. In praemiſſis prolegomenis docet, quomodo medicus tyro, qui animum ad addiſcendam et exercendam praxin applicare vult clinicam praeparatus eſſe debet, et ad quae in facienda medicina attendere tenetur. Vt ordo, quem in tradendis morbis ſecutus eſt,

* Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 141 ſeqq.
** Volum. III. Part. IV. p. 696.
*** Ibidem.

eſt, eo melius pateat, ſequentem tabulam ſynopticam adponit. Sunt vero morbi

I. Vniuerſales
  I. Syſtematis ſanguinei
    A. Febres.
      1. intermittentes
        a. tertiana.
        b. quartana.
        c. quotidiana.
        d. duplicatae.
      2. Continuae remittentes.
        a. catarrhalis benigna.
        b. catarrhalis maligna.
        c. petechialis.
        d. peſtis.
        e. ſcarlatina, cet.
        f. morbilli.
        g. variolae.
        h. purpura.
      3. continentes.
      4. lentae.
    B. Inflammationes.
      1. phrenitis et paraphrenitis.
      2. angina.
      3. pleuritis et peripneumonia.
      4. hepatitis.
      5. ventriculi et inteſtinorum inflammatio.
      6. nephritis.
    C. Haemorrhagiae
      1. narium haemorrhagia.
      2. haemoptyſis.
      3. vomitus cruentus.
      4. menſtruorum vitia.
      5. haemorrhoides.
      6. mictus cruentus.
      7. varices.

II. Syſtematis ſeroſo-lymphatici.
1. cacochymia et cachexia.
2. hydrops.
3. ſcorbutus.
4. ſcabies.
5. lues venerea.
6. malum hypochondriacum.
7. atrophia et tabes.
8. rheumatismus.
9. arthritis.

III. Syſtematis neruoſi.
1. vertigo et morbi ſoporoſi.
2. apoplexia.
3. paralyſis.
4. conuulſio.
5. epilepſia.
6. lipothymia et ſyncope.
7. melancholia et mania.

II. Particulares.

I. Morbi capitis.
1. cephalalgia.
2. coryza et grauedo.
3. oculorum morbi.
4. aurium morbi.
5. faucium et oris morbi.

II. Morbi pectoris.
1. tuſſis et raucedo.
2. aſthma.
3. vomica pulmonum et empyema.
4. phtiſis.
5. palpitatio cordis.
6. polypus cordis.

III. Morbi abdominis.
1. appetitus deprauatio.
2. deglutitio laeſa.
3. digeſtio laeſa.

4. ardor

4. ardor ventriculi et fames morboſa.
5. nauſea et vomitus.
6. infarctus hepatis et lienis.
7. icterus.
8. fluxus hepaticus.
9. cholera.
10. lienteria et coeliaca paſſio.
11. diarrhoea.
12. dyſenteria.
13. colica.
14. alui obſtructio et ileus morbus.
15. tympanitis.
16. vermes.
17. dyſuria, iſchuria et calculus.
18 diabetes.
19. incontinentia urinae.
20. ſatyriaſis et priapismus.
21. gonorrhoea.
22. fluor albus.
23. malum hyſtericum.

IV. Appendix.

1. morbi grauidarum.
2. morbi puerperarum.
3. morbi infantum.

Poſtquam morborum uniuerſalium ideam dedit, et explicauit, quid per *morbos ſyſtematis ſanguinei* intelligat, ad *febres* progreditur, earumque differentias, deſcriptionem, characteres ſpecificos, cauſas, ſymptomata, ſigna pathognomonica ſollicite et perſpicue exponit, tandemque medendi methodum adiicit. p. 7.

Febris autem definitionem difficulter dari perhibet Cl. Auctor, *cum et illa, quae a ſigno pathognomonico ſolo deſumitur, et illa, cui quaedam ſymptomata adduntur, ideam rei non ſatis exprimere* ei videntur: propterea definitionis loco deſcriptionem paulo ampliorem febris exhibere maluit, in qua tamen ſymptoma p. 13.

ptoma *pulſus celerioris* deeſſe videtur, quem ſignum pathognomonicum febris praebere Cl. Auctor ipſe §. 21 dixit. In omni ceteroquin doctrina, ut tyronum ſtudio ſuccurrat, omnia ad generaliora reuocare allaborat, qua de re ad therapiam generalem ſaepius
p. 23. prouocat. Quod ad curationem pertinet, eam, pro rerum circumſtantiis, venaeſectione, diluentibus, atque leniter reſoluentibus, habita ſemper virium vitae ratione, tentare ſtudet: qua occaſione ſimul ſuam de uſu opiatorum in febribus ſententiam, adnectit, quam, quod ad eorum quidem in c. h. effectum attinet, Cll. YOVNG et TRALLES opinionibus contrariam animaduertimus. Opiata enim impetum febris infringere negant. Meminit praeter ea diaetae ac regiminis: nec obliuiſcitur criſium, quae febres comitantur. His omnibus ſubiungit febrium diuiſiones in *ſymptomaticas* et *idiopathicas*, in *acutas* et *chronicas*, quarum diſtinctiones breuiter exponit.
p. 28. Proſequitur nunc *febrium intermittentium* differentias, quotidianas, tertianas, quartanas etc. duplicatas, regulares et irregulares. De *febribus tertianis*, tanquam frequentioribus, prolixius agit, atque in earum cauſas ſedulo inquirit. Primas igitur vias ante omnia vomitorio vel laxante purgare monet, deinde reſolutioni viſcidae materiae aptis remediis diutius
p. 37. inſiſtere praecipit, denique, *ſi febris vehementia remittit, urina diu cum ſedimento fuit, reliquaeque ſecretiones maximam materiae partem ſubactam atque expulſam eſſe oſtendunt*, medicamenta roborantia in uſum vocare ſuadet. Inter quae corticem peruuianum omnibus aliis palmam praeripere merito iudicat, quem tamen electum, et intra breue tempus in magna doſi ad unciam unam et alteram propinatum vult. Fe-
p. 39. brem *quartanam* pari modo examinat, et vix non ſimilem methodum medendi commendat, niſi ut cautelas prius datas, grauius inculcet. In febribus rebellibus moderatum mercurii dulcis uſum laudat: ar-

ſenici

ſenici vero albi, quo agyrtae non nunquam utuntur, una cum opiatis, plane reiicit. Pedes oedematoſos, qui febres intermittentes, cortice peruuiano ſanatas, ſaepius ſequuntur, parum extimeſcendos putat, ſi corpus bene praeparatum fuit: ſed ſi poſt febrem intempeſtiue ſuppreſſam oriuntur, febrem validioribus datis purgantibus denuo excitare autumat. A praecedentibus tantum ratione temporis acceſſionis differunt *quotidianae* et *duplicatae*, quae iisdem, interdum tamen mitioribus remediis tractandae ſunt. Cauendum tamen ſedulo, ne in continuas, vel lentas degenerent, quod facile euenire ſolet, praeſertim ſi purgantia fortiora, vel medicamenta calida his morbis adhibentur. Sequuntur nunc febres *continuae remittentes*. Sub his febrem catarrhalem benignam et malignam, petechialem, ipſam peſtem, ſcarlatinam, morbillos, variolas et purpuram complectitur. Has eodem modo ſingulatim pertractat, et earum cauſas, ſigna, differentias et curandi methodum perpendit, neceſſariasque cautelas adiicit. In *benigna* pauca tentanda, ſed plurima naturae committenda docet. In *maligna* autem, quam alii petechizantem adpellant, cum quibus tamen Cl. Auctor non conſentit, venae ſectionem raro locum habere dicit: camphorata autem et nitroſa plurimum commendat: denique ad vitae vires, et morbi mutationes ſemper attendere in cura monet. Febrem *petechialem*, quae cum praecedente, excepto contagio, multum conuenit, a criſi metaſtatica ad cutem facta oriri cenſet: grauitatem vero morbi *a ſubtiliori materiae morboſae reſolutione et acrimonia, magis actiua reddita*, deducit, unde et contagium huic febri familiare deriuat. Caſtra illas febres in primis fauere exiſtimat. *Ex ſymptomatum igitur grauitate et contagioſa indole, nec non ex ipſis petechiis*, quae interdum purpura alba variant, *praeſentibus*, morbum determinat: deinde conſilium addit, quo medici et illi, qui circa eiusmodi aegros

p. 42.

p. 49.

p. 53.

p. 63.

p. 67.

verſantur,

verſantur, ſe ab hocce contagio praecauere debeant, *Peſtis* a praecedente differentiam in maiore malignitatis, a peſſimo contagio in corpore ſuſceptae, gradu, cauſam vero in celeri putredine partium internarum ponit, et non nulla generalia animaduertit
p. 70. atque praecipit. Exanthemata ratione figurae maculárum quidem diuerſa, benigniora tamen et per accidens interdum maligna praebent *ſcarlatina* et *morbilli*, licet hi cum variolis plura communia habeant, et ratione curae parum tantum differant. Ambo morbi periculoſi euadunt, ſi, angina plerumque praegreſſa, materies non ſatis cocta, triſti, ut appoſite Cl. Auctor enuntiat, metaſtaſi, ad bronchia defertur, febrimque lentam accendit. A morbillis rubeolas, quas nomine apud noſtros minus uſitato *roſeolas* adpellat, parum differre et forte mitiores eſſe,
p. 78. ex experientia didicit. Maiorem attentionem merentur *variolae*, a graecis, ſecundum Cl. Auctorem, haud deſcriptae, ab Arabibus tantum medicis, memoriae traditae. Sunt autem variolae morbus contagioſus, hinc epidemicus, iuniores potiſſimum inuadens, nec adultis, nec ſenibus ſemper parcens, ſi in iuuentute ab illo liberi manſere. Sunt verae, ſunt ſpuriae; ſunt benignae, ſunt malignae; ſunt diſcretae, ſunt confluentes. Omnes has notis ſuis diſtinguit Cl. Auctor, earum cauſas perueſtigat, et totum morbi decurſum; more SYDENHAMII, in tria ſtadia diuidit. Quae in quolibet obſeruanda ſunt ſtadio, ſedulo animaduertit, additque quomodo ſymptomatibus grauioribus occurrendum, et quod poſt ſuperatas, in primis malignas, variolas, audendum eſt. His ſuam ſententiam de variolarum inſitione, quam omnino
p. 93. adprobare videtur, ſubnectit. *Purpurae*, ſeu febris miliaris indolem nunc ſibi deſcribendam ſumit Cl. Auctor. Morbum exanthematicum, veteribus vel ignotum, vel ab iis non ſatis accurate deſcriptum illam nominat, quam tamen noſtris temporibus, mutatis

tatis regiminis et curationis mediis paullulum mitescere credit. Licet ad praecedentes febres exanthematicas purpuram referre potuisset Cl. Auctor, tamen peculiarem tractationem illi dicauit, eiusque historiam, diuersas species et curationem exposuit, et quasdam obseruationes de puerperarum purpura, et scorbutica, quae plerumque sine febre est, adiunxit.
Succedunt febres *continentes*, *quae a principio usque* p. 105.
ad finem morbi, *aequali fere saepe symptomatum vehementia saeuiunt*, *nec remissionem habent*. In nostris oris, ut Cl. Auctor putat, rarius occurrunt, frequentiores in calidioribus regionibus sunt. His adnumerat ephemeram, synochum putridam et febrem ardentem. *Ephemera* mitissima est. *Synochus* vero *putrida* et *ardens* periculis plena. In *putrida* sanguinis crasis in resolutionem quandam putridae similem transit. Febris *ardens* cum causo veterum Cl. Auctori magis comparanda venit. Raro hic morbus crisi soluitur. Iudicatur tamen non nunquam vel per haemorrhagiam narium, vel per diarrhoeam, vel per sudores. Plerumque tamen adeo funesta est, ut hominem citius e viuis tollat, quam bona expectari queat crisis. Eius cura fere eadem est, quae malignarum. Febrium agmen claudit *febris lenta*, quae, p. 111.
continuo fere calore post pastum increscente, aegrum depascit, ut, viribus exhaustis, tandem pereat. Ratione causarum et symptomatum multum quidem variat, hoc tamen semper ei commune est, ut imbecillitas systematis neruosi per omnes eas causas inducatur. Hinc huic febri maxime obnoxia sunt corpora imbecilla, praesertim si febri quacunque vehementiori afficiuntur, quae vix non semper febrim lentam post se relinquunt. Qui ad causas et gra- p. 113.
dum febris respexerunt, distinxerunt febrem lentam in hecticam, quae a sanguine et lympha acri; in phtisicam, quae abulcere pulmonum, vel alius visceris interni; et cachecticam, quae a lympha spissa

et viſcerum obſtructione originem habet. Sed haec diſtinctio Cl. Auctori minus placet. In initio lentae febris mitiſſima eſt, ſenſim increſcit, tandem omnia ſymptomata peiora fiunt: tunc omnem curam reſpuit, et tantum curam admittit palliatiuam. Si quid tentandum, hoc in initio experiendum eſt. Saepius debilitas primarum viarum, et cruditates in illis collectae in cauſa ſunt, tunc vomitoria et laxantia pro indicationis ratione porrigenda eſſe credit. Conducunt interdum thermae et acidulae. Si vero debilitas ſolidorum lentam foueat, praemiſſis praemittendis, cortex peruuianus eligendus eſt, qui febribus neruoſis in primis medetur. Venae ſectionem in hac febris ſpecie merito reprehendit Cl. Auctor, quia vires magis frangit. Si acrimonia coniuncta eſt, cura lactis et iuſcula refrigerantia ei opponi poſſunt: quia non ſolum acrimoniae reſiſtunt, ſed et nutriunt. Cum lacticiniis etiam coincidit ſerum lactis dulce, quod igitur iis ſubſtitui poteſt. In omni lactis uſu primis viis ſedulo eſt proſpiciendum. Haec de febribus. Succedit *inflammatio*. Poſtquam in genere de inflammatione eiusque natura, cauſis, ſignis atque curatione peculiari ſectione egit, ad ſpeciales inflammationes ſeu partium procedit, quas pari ſtudio atque
p. 128. diligentia abſoluit. Primum locum occupat *phrenitis*, quae vel cerebri ipſius, vel eius membranarum eſt inflammatio, cum vehementi febre continente et delirio feroci. Inter alia huic morbo opponenda remedia extollit in primis camphoram, doſi aucta, ad grana quatuor et ultra exhibendam. Cum phrenitide coniungit *paraphrenitidem*, quae diaphragmatis inflammatio eſt. In hoc morbo vix non ſemper delirium, licet non ita ferox ac in praecedenti, adeſſe monet Cl. Auctor. Affirmat enim in genere *delirium omnibus membranarum et neruoſorum viſcerum in-*
p. 134. *flammationibus proprium eſſe*. Has excipit *angina*, quae morbus faucium, laryngis nempe vel pharyn-

gis

gis eſt. Eſt autem duplex, vel inflammatoria, vel catarrhoſa. Vtramque accurate diſtinguit, et quamlibet ſeorſim examinat. Hanc ſequitur *peripneumonia*, quae pulmonis; *pleuritis*, quae pleurae; et *pleuro-pneumonia*, quae utriuſque inflammatio eſt. Omnes, ceteris paribus, in initio venae ſectione mitigare, reliqua reſoluentibus perficere tentat. Quando autem latus *ſiniſtrum* in pleuritide frequentius dextro affici aſſerit Cl. Auctor, mendum typographicum hic latere, et *dextrum* legendum eſſe ſuſpicamur. Progreditur ad hepatis inflammationem, quae *hepatitis* dicitur. Ob nexum tranſit ad *ventriculi ac inteſtinorum inflammationem*. Doctrinam inflammationum finit *nephritide*, quae lumbos et renum regionem occupat. Haec licet duplex ſit inflammatoria ſcilicet et ſpuria, de illa tantum hic agit: ſpuriam vero, quia rurſus in calculoſam et rheumaticam ſubdiuiditur tam ad morbos viarum urinariarum, quam ad rheumatismum remittit. Accedit ad *haemorrhagias*. Exp. 160.
triplici cauſa hae fiunt, vel ex vaſis disruptis, et nimium ad latera diſtentis, vel ex dilatatis eorum oſtiolis. Haemorrhagiae ex locis conſuetis prouenientes non adeo periculoſae ſunt, quam illae, quae ex minus conſuetis vel prorſus alienis prodeunt. Dantur et haemorrhagiae criticae. In genere autem prudenter monet Cl. Auctor haemorrhagias non ſubito eſſe ſiſtendas, ſed circumſtantias perpendendas. Haec in primis probat de haemorrhagiis narium, quas vel idiopathice, vel ſymptomatice, vel critice ſanguinem fundere perhibet. Omnes haemorrhagias narium bonas iudicandas cenſet, quae cum lenamine aegroti fiunt. Si modum excedunt, venae ſectionem in primis, et deinde remedia interna et externa commendat. Maioris periculi eſt *haemoptyſis*, ſiue *haemoptoe*, quando ſanguis ex pulmonibus cum tuſſi et ſcreatu reiicitur. Minime omnis ſanguinis reiectio ad haemoptyſin referenda, ſed locus p. 167.

examinandus eſt, unde venit. Quia cauſae, quae illam excitant, variae ſunt, cura etiam pro earum conditionibus inſtituenda eſt. Venae ſectio in pede larga praemitti debet, deinde medicamenta eligenda, quae et acrimoniam demulcent, et corpus nutriunt; obſeruata ſimul accurata diaeta. Cum haemoptyſi aliquo modo conuenit *vomitus cruentus*, ſed differt ratione loci, unde ſanguis prouenit. Si enim ex ventriculo per vomitum reiicitur, vomitus cruentus audit. Ad hanc igitur diſtinctionem in cognoſcendo et curando morbo ſedulo attendendum eſt. Ad haemorrhagiarum tractationem, doctrinae cauſa, refert
p. 175. Cl. Auctor quoque *menſtruorum vitia*, quae ſexui ſequiori tantum familiaria ſunt. Docet igitur, quomodo eis feminis medendum, quibus vel iuſto plus, vel iuſto minus, vel prorſus non menſtrua fluunt, adhibita ſemper ea cautione atque circumſpectione, quae rationalem et prouidum medicum decent. Multum ſimilitudinis cum fluxu menſtruo habet *fluxus haemorrhoidalis*. Hic tamen nunquam naturalis eſt, ſed ſemper praeter naturam accidit. Parem igitur inquiſitionem et attentionem requirit, cui Cl. Auctor
p. 191. in omnibus ſatisfacit. Ad hanc morborum caterum pertinet et *mictus cruentus*, quando ſanguis cum urina excernitur. Hunc, perquiſitis cauſis, quoque leuare, et, ſi fieri poteſt, curare monſtrat. Reſtant varices, quos ex ſuis cauſis explicat, eorumque mede-
p. 196. lam adiungit. Tranſit nunc ad *morbos ſyſtematis lymphatico-ſeroſi*, ſeu humorum, licet, ut bene annotat, cauſa in ſolis humoribus non ſemper haereat, ſed etiam in ſolidis. Chronici hi ut plurimum dicuntur, et potiſſimum ſine febre ſunt. In horum numerum refert cacochymiam et cachexiam, hydropem, ſcorbutum, ſcabiem, luem veneream, malum hypochondriacum, atrophiam et tabem, rheumatismum et tandem arthritidem. *Cacochymiae* et *cachexiae*, quae maior cacochymiae gradus Cl. Auctori audit,

audit, addit *leucophlegmatiam*. Materia viſcida in his morbis reſoluta, et ad maximam partem leniter euacuata, quod thermas carolinas et acidulas ferratas in primis praeſtare dicit, roborantia, corticem ſcilicet peruuianum et martialia commendat. *Hydrops*, ſub quo oedema, anaſarcam, aſciten cum uteri hydrope et teſtium tumore aquoſo, qui hydrocele adpellatur, comprehendit, euacuantibus quidem tentat, ſed draſtica, quae ſolidorum robur nimis infringunt, reiicit: diuretica autem, v. c. plantas alcalinas, ſuccum millepedum viuorum et radicem ſquillae prae aliis laudat. p. 205.

Scorbuti indolem et naturam nunc explanat, et ea, quae experientia illum de hoc morbo docuit cum obſeruationibus Cl. LIND comparat. p. 219.

Scabiem, ad cuius familiam ſerpiginem, impetiginem, lichenem, pſoram et lepram graecorum ac arabum refert, in ſiccam et humidam diuidit, et purgantibus, corrigentibus, expellentibus et ſpecificis ſanare inſtruit. Nec omittit, ſi ſcabies diutius durat, externa remedia, e quibus flores ſulphuris, ceruſſam et alia ex plumbo parata, quibus tamen caute uti monet, concedit, quamuis ab ultimis, ut verum fateamur, tutius prorſus abſtineremus. De ſcabie quoque retropulſa quaedam adiicit, quam reuocare aptis remediis ſuadet. p. 227.

Luem veneream veteribus ignotum morbum autumat, et circa finem ſeculi decimi quinti ex India occidentali in Europae regiones translatam, et per contagium communicatam credit. Huius curam, pro morbi gradu vel decoctis, vel mercurio tentare ſtudet. A ſaliuatione non abhorret. Num vero haec additione ſulphuris vel camphorae mitigari poſſit, nondum certe determinat, ſed ambigue tantum diſputat. Meminit quoque nouae illius methodi, ab Ill. VAN SWIETEN commendatae, qui nec mercurium ſublimatum corroſiuum in uſum vocare reformidat. Ipſe fatetur Cl. Auctor quibusdam abſonum videri poſſe, quod *malum* p. 235. p. 248.

lum hypochondriacum ad morbos ſyſtematis lymphatico-ſeroſi reducat. Quum vero hunc morbum tanquam peculiarem cacochymiae ſpeciem, *quae in lymphae viſciditate et acrimonia atrabilaria, vel ei ſimillima conſiſtit*, conſiderat, id eo ſe excuſandum putat. Huius morbi tres conſtituit gradus, quos congruis remediis, inter quae aquae minerales eminent, mitigare et curare contendit: licet in debilitatis corporibus, illis remediis praemiſſis, corticem peruuianum
p. 258. et martialia non excludat. De *atrophia* et *tabe*, quamuis in febrium lentarum doctrina plurima iam praemonuerit, quaedam adhuc addit, et, quum in utraque nutritionis defectus praecipue accuſetur, hecticam et phtiſin huc reducit: quibus atrophiam infantum tandem adnectit. His igitur, pro cauſarum diuerſitate, mederi docet, dum praecipua momenta
p. 262. in exemplis declarat. *Rheumatiſmum*, etiamſi multa communia cum arthritide habere ipſe cognoſcat, ſeorſim tamen, quum ratione ſedis differat, et eos quoque adeat, qui a morbo articulari immunes ſunt, pertractat. Hunc in catarrhalem, ſcorbuticum et inflammatorium diuidit, omniumque cauſam primariam in ſubitaneo corporis refrigerio, vel perſpiratione ſuppreſſa ponit. Perſpirationem igitur inſenſibilem diluentibus, reſoluentibus et corrigentibus, quibus frictionem moderatam addit, reſtituere ſuadet.
p. 267. Rheumatiſmum excipit *arthritis*, quae dolor eſt articulorum cum rigiditate, immobilitate et tumore partium plus minus inſigni coniunctus. Si materia morboſa ex uno loco in alterum tranſit, vaga audit; quod ſi in uno alteroue articulo quieſcit, fixa. A loco, quem occupat, chiragra, gonagra, podagra, vel malum iſchiadicum dicitur. Arthritidem, ut rheumatiſmum, in catarrhalem, ſcorbuticam et inflammatoriam diſtingui poſſe opinatur. Cauſam huius proximam in humoribus viſcidis et acribus retentis quaerit: ad praediſponentem autem, ſi ſpectes,

contagio

contagio et haereditate hunc morbum interdum propagari asserit. Morbi accessum febris symptomatica saepe comitatur. In paroxysmo ipso parum vel nihil audendum iure praecipit Cl. Auctor; quare nec grauiores dolores in ipso paroxysmo opiatis mitescere permittit: omnem contra curationem extra paroxysmum suscipiendam poscit; ubi thermas carolinas aliasque minerales aquas, in primis ferratas, optimum in hoc morbo praebere remedium prophylacticum statuit. Succedunt *morbi systematis neruosi*, sub qui- p. 279.
bus Cl. Auctor illos *absconditos et vix declarandos c. h. morbos* intelligit, *qui in cerebro et connexo systemate neruoso* oriuntur. In horum examine minime subtili theoriae, quae plerumque hypothesibus nititur, indulget, sed experientiam, ut fidelissimam magistram, consulit, medendi methodum semper disponendo ad therapiam generalem. Primum locum inter hos occupant *vertigo* et *morbi soporosi*, quorum causam proximam in ingrata quadam cerebri et neruorum ponit affectione: impeditum enim et inordinatum fluidi neruei motum tanquam effectum huius ingratae contemplatur sensationis. Praedisponentes et occasionales varias agnoscit. Morbos ipsos distinguit in idiopathicos et symptomaticos, quibus pro causarum varietate occurrere monstrat. Clysmata in omni fere casu concedit, reliqua remedia caute adhibenda monet. Vertiginem saepe excipit *apoplexia*, p. 289.
cuius causam non nulli in affecto cerebro, et laeso deinde cerebello latere arbitrantur, quam sententiam tamen nondum satis declaratam Cl. Auctor pronuntiat. Maioris utilitatis censet distinctionem in sanguineam et serosam, ad quam sedulo in praxi respiciendam urget. Quando vero in apoplexia serosa venaesectionem in brachio, moderatiorem quidem, proficuam interdum iudicari ait: maxima cum circumspectione haec intelligi, atque tentari velimus. Certe enim in apoplexia vere serosa V. S. citius ne-

cat. Tutiora et certiora videntur vomitoria, quae
p. 297. in eadem paragrapho ſuadet. Apoplexiam niſi ea interficit, plerumque ſequitur paralyſis, quare etiam prioris cauſas repetendas, et in curatione remedia, in apoplexia laudata, eligenda et hic quoque adhibenda perhibet. Febrem apoplexiae et paralyſi ſaepe ſuperuenientem caute moderandam imo, ſi opus, excitandam praecipit. Commendat praeter ea remedia externa, partibus laeſis adplicanda, v. c. balnea, epithemata, ſtillicidia aquarum mineralium, urticationes, et q. ſ. r. Concuſſioni electricae, praeſertim in ſpongioſis et laxis corporibus non omnem vim
p. 303. abnegat. Conuulſionum nunc Cl. Auctor proponit doctrinam, eos tamen, qui pleniorem poſtulant notitiam, ad ampliſſimam BARTHOLOMAEI DE MOOR tractationem, quam in *Pathologia cerebri* exhibuit, relegat. Varias interea huius morbi indigitat cauſas, quae pro earum diuerſitate idiopathicas et ſymptomaticas excitant conuulſiones. Tanquam ſpecifica in hoc morbo extollit moſchum, ambram et caſtoreum. Multum connexionis cum conuulſionibus habet *epilepſia*. Vtraque enim in inuoluntaria et violenta contractione muſculorum conſiſtit; in epilepſia accedit tantum plenaria abolitio ſenſuum externorum et internorum: hinc cauſas et methodum medendi utriusque morbi multum conuenire dicit. Diſtinguit illam quoque in idiopathicam et ſymptomaticam, quae ultima infantes frequentius adit. In ſpecificorum numerum refert Cl. Auctor viſcum quernum, radicem valerianae et oleum animale DIPPELII, quod tamen eum ſaturato decocto ligni guaiaci et ſtrobulorum pini in aptis tantum ſubiectis tentare ſuadet. De cranio humano et ungula
p. 312. alcis iudicium ſuum ſuſpendit. *Lipothymiam* et *ſyncopen*, quia earum cauſam proximam in male affectis neruis quaerit, ad morbos ſyſtematis neruoſi refert, et, quomodo eiusmodi aegroti excitari et curari debent,

bent, oſtendit. Quum vero homines praeſertim foeminae, malo hyſterico laborantes ſyncope paulum diuturniore adeo vexantur, ut mortis imaginem prae ſe ferant, remedia et experimenta docet, quibus praecaueri poteſt, ne viuae ſepeliantur. *Melancholiam* atque *maniam* tandem ſubnectit Cl. Auctor in quarum expoſitione ſimul lectores remittit ad ea, quae de malo hypochondriaco dixit: reliqua tamen, quae illos morbos ſpecialiter diſtinguunt, ſuper addit. Melancholiam definit, quod ſit delirium pertinax ſine febre, quod ſi ferox eueniat, manca dicatur. Eiusmodi delirium etiam ſine materia a ſola phantaſia laeſa non nunquam excitari poſſe bene animaduertit. Vtrumque morbum perſcrutari, dignoſcere, ab aliis diſcernere et denique ſanare erudit. Meminit hac occaſione deliriorum a morſu animalium rabidorum vel venenatorum oriundorum, quorſum in primis hydrophobia pertinet. Sequitur *Pars ſecunda*, quae morbos *particulares*, capitis nimirum pectoris, abdominis, et, appendicis loco, morbos grauidarum, puerperarum et infantum complectitur. Hos etiam ſingulatim recenſere et praecipua excerpere et annotare deberemus. Verum hocce labore ſuperſedere poterimus. Veremur enim, ſi pergamus, ne lectoribus noſtris repetitione unius eiusdemque tradendi methodi, qua in explicandis morbis, et docenda eorum cura Cl. Auctor uſus eſt, moleſti fiamus. Ex praecedentibus lectores b. ſatis ſuperque cognoſcent, quid praeſtitit, quemque doctrinae ordinem obſeruauit. Fidere enim nobis tuto poſſunt Cl. Auctorem reliquos morbos particulares eodem ordine, eadem diligentia, eademque ſollertia abſoluiſſe, ita quidem, ut morborum notiones et definitiones praemiſerit, eorum differentias explanauerit, cauſas, ſepoſitis omnibus hypotheſibus, perueſtigauerit, ſigna expoſuerit, prognoſin formauerit, et curam tandem, ſiue methodum meden-

p. 315.

p. 322.

di, non neglectis cautelis, adiecerit. Habebunt igitur medicae artis profeſſores et doctores manuductionem, ordine ſimplici et naturali, elaboratam, conciſam atque breuem, ad quam diſcipulos ſuos ſine ambagibus ducere atque docere poſſunt. Habebunt et tyrones filum, ad quem ſe tenere, et vias deuias flexusque euitare queunt. De fide autem atque ingenuitate Cl. Auctoris ambo certi atque perſuaſi eſſe debent, illum nihil temere tentaſſe, nihilque reticu-
p. 490. iſſe, quod illi ſcitu dignum viſum fuit. Ad finem libelli Cl. Auctor medicamentorum formulas adiecit, quibus in medicina facienda plerumque uſus eſt. De his ipſe monet tyrones, ne coeci hisce inhaereant, ſed illas pro circumſtantiarum conditione atque varietate mutent, nouasque ab aliis medicis praeſtantiſſimis commendatas experiantur.

IX.

D. PHILIPPI ADOLPHI BOEHMERI, Med. et Anat. Prof. in Regia Fridericiana Publ. Ord. Imp. Acad. Natur. Curioſ. nec non Reg. Scient. Boruſſ. Sodalis. Obſeruationum anatomicarum rariorum faſciculus alter notabilia circa uterum humanum continens cum figuris ad viuum expreſſis. Halae apud I. I. Gebauer, 1756. fol. mai. pl. 17. tab. aen. 8.

Promiſſis ſuis quum ſteterit Cl. Auctor, atque rariores cum orbe erudito communicauerit obſeruationes, nos quoque earum iam mentionem libenter facimus atque datam fidem exſoluimus. * Occurrunt nempe hic quinque illae obſeruationes, in primo faſciculo propoſitae, eodem doctrinae atque ingenii candore elaboratae. In ipſa quoque praefatione

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 247 ſeqq.

tione eundem ſeruatum fuiſſe ordinem inuenimus, atque ſingularia quaedam ex variis corporum diſſectionibus adnotata: Vidit ſcilicet faſciculum muſculoſum ex pectorali maiore ad brachialem internum delatum: ſtylohyoideum dextrum muſculum deficientem: ulcus in cerebro calloſum cum excreſcentia fungoſa, quod conuulſiones excitauerat frequentes: ſpecialem hydropem renum, ubi in praegrandibus renibus eorumque membrana adipoſa flaueſcens ſerum coaceruabatur; renem dextrum duplo naturali maiorem, ſiniſtrum minorem; ureterem dextrum duplicatum, paullo poſt confluentem; deinde in recens nato ante limbum inteſtini recti renitens clauſtrum membranaceum, quo aperto effluxit quidem meconium, breui tamen poſt, ſphacelata dextri coli parte, obiit infans: tandemque tumorem lumbarem cum ſpina bifida, breui letiferum.

Quo facto Cl. Auctor propius ad conſiderandas obſeruationes accedit, et quum de prima alibi dixerimus, nunc ad *ſecundam* nos conuertimus, quae inſcribitur *de concremento oſſeo-lapideo in uteri cauo reperto iuncta conceptione tubaria perfecta et imperfecta.* Notatu omnino digniſſimus hic caſus occurrit in fe p. 13. mina triginta ſex annorum, quae ſaepe iam peperat, ante aliquot vero annos infirma utens valetudine, de duro quodam ſiniſtri hypogaſtrii dolore conqueſta eſt, mutabili, catameniis inſtantibus, magnitudine; grauida tamen facta praemature bimeſtrem foetum expulit, tandem ultimo ante obitum menſe in latere dextro iliacaque eius regione dolorem nouum perſentiſcebat, et ſuperueniens febris acutiſſima inflammatoria vitae finem faciebat. In cadauere diſſecto praeter alia praecipue uterus accuſandus eſſe videbatur, quippe qui, quum reliquae partes rite ſeſe haberent, magnitudinem uteri duorum menſium referebat. Apertum eius cauum oſtendebat corpus durum, ſphaeroideum, cyſtide membranacea incluſum,

ſum, quae reticulari textura utero iungebatur partim, partim cum utero concreſcebat. Corpus quidem extus ſubſtantiam oſſeo lapideam, intus fibroſo-ſpongioſam habebat, cum qua utraque ſubſtantia ad veram eius naturam indagandam varia inſtituit tentamina Noſter. Ouarium deinde dextrum turgens et inflammatum reperiebatur, cauitatibus minoribus duabus et collapſis inſtructum: tuba vero in principio et medio loco conſtricta, reliquum expanſa erat, duobusque maiori et minori tuberculo conſpicua. *Maius* veſicula erat, qua aperta effluens humor relinquebat foetum placenta ſua tubae connexum, *minus*, ad longitudinem diſſectum pariter veſiculam, ſed duplicatam comprehendebat, tela celluloſa et vaſculoſa iunctam, in qua corpuſculum carneum fibroſo vaſculoſum, ex ſtratis concentricis conſtans, deliteſcebat.

Inſtituta autem paullo curatior contemplatio et diſquiſitio coegit Cl. Auctorem, ut in tribus de ſingulari hoc caſu ſectionibus ſigillatim ageret, quare *primo*, de embryone in tuba dextra Fallopiana reperto, *ſecundo* de detecto in eadem corpore vaſculoſo-fibroſo, propria membrana incluſo, et *tertio* de concremento oſſeo-lapideo, mediante capſula membra-
p. 17. nacea, uteri cauo adfixo, diſſeruit. Prima itaque ſectio omnia concinne conſiderat, quae de natura conceptionis tubariae dici poſſunt, argumentis exemplisque auctorum ſtudioſe collectis confirmata, cuius tamen certa et diſtincta, ab alia conceptione vitioſa, ſigna dare recte negatur, aliquando autem
p. 30. caeſarea ſectione tolli poſſe euincitur. Altera porro ſectio molarem eſſe conceptionem demonſtrat, atque impedimenta perpendit, quae progreſſum oui ad uterum, verique embryonis ulterius incrementum
p. 35. cohibuerint. Tertia tandem de concremento oſſeo-lapideo in uteri cauo ſic exponit, ut generales cyſticorum tumorum dotes explicentur, atque eadem cum facilitate in utero, ac aliis in locis cyſticum tumorem

morem atheromatodem generari posse comprobetur, adducto exemplo viri sexagenarii, cui tumor tunicatus, ex atheromate et steatomate compositus, inter musculos vastos sederat.

Tertia, quae in ordine sequitur, observatio *anatomen tam tumoris tunicati, ex atheromate et steatomate compositi, intra substantiam quidem fundi uterini enati, sed externe tantum protuberantis; quam ouariorum praeternaturalium alio in subiecto deprehensorum, unius nimirum hydropici, binorum autem substantiam cartilagineam continentium*, complectitur. Duo hic referuntur casus, quorum in priore enatus ex fundo uteri tumor, cum quo per telam fibrosam nectebatur, crusta dura et ossea fere tegebatur, intusque pultaceam fouebat materiem, alter autem de sterili femina, tandem cachectica et corrupto sero scatente exponit, quae tubas FALLOPII concretas secum circumferebat. Cum hoc autem sero, in hydropico ouario deprehenso, sequentia instituit Cl. Auctor experimenta; liquoris uncia dimidia euaporata, in coagulum abiit, quod exsiccatum friabile euasit, et in carbones reiectum totum absumtum est. Spiritus vitrioli pariter, instillatus, coagulum exhibuit album, maiori caloris gradu croceum redditum, nitri vero spiritus coagulum, mucilaginis instar tragacanthae produxit, exsiccatum myrrhae colorem induens: spiritus salis coagulum dedit variae grauitatis, exsiccatum consistentiam gummi sagapeni referens: spiritus vini rectificatissimus praecipitationem ad instar tincturae benzoes produxit, oleum vero tartari per deliquium et nitrum fluiditatem auxerunt, syrupus violarum mutationem passus est nullam, nec liquor iniectus igni eius pabulum fuit. p. 43.

Obseruatio quarta recenset *monstrum bicorporeum*, cuius capita, pectora et ventres inter se coalita apparebant, extremis vero utriusque corporis liberis. Primo in ortum monstrorum breuiter inquirit Noster, p. 49.

ſter, eademque ex animalculis ſpermaticis oriri adſerit, et vel in iisdem praeexiſtere, vel ex eo naſci, ſi duo animalcula ouuli unius cicatriculam ingrediuntur: deinde de diſſectione viſcerum, thoracis atque infimi ventris monſtri deſcripti varia, additis iconibus, tradit. Partes in abdomine pleraeque duplicatae erant, hepar duplex, unum ſuper, alterum ſub inteſtinorum tractu ſitum, uterus duplex, ſed ventriculus unicus, ad longitudinem dependens, cui et unicus lien adhaerebat, pancreas unicum, duodenum et ieiunum ſimplex, ileon duplex, prout colon et rectum, in thorace ſterna duo, cor duplex, et pro ratione ſitus horum viſcerum, ramificationum quoque in vaſis varietates animaduertebantur, quarum delineationes hic ſimul proponuntur, quae curatius intuenti admirationem mouent, noſtraeque intelligentiae imbecillitatem produnt.

p. 56. *Obſeruatio quinta de utero humano bifido et bicorni cum vagina duplici* agit. Detectus eſt ille uterus in cadauere uxoris quinquaginta ſex annorum, quae et ulcere ſordido dextri pedis, maligno et ſphacelato obierat. Erat nempe ſeptum membranaceum, callosum, quod pudoris ſinum diuidebat, vagina duplex, ſed, mediaſtini ad inſtar, medio coalita loco, deſinens inter uteri cornua, quae orificio ſuo utrinque in vaginam aperiebantur. Haec autem cornua ſpongioſo fibroſa, euidenti oſtiolo in adnexas deſinebant tubas, nec non extremo eorundem ouaria adhaerebant.

p. 61. *Obſeruatio ſexta* exponit *de vaſis pelvis in ſpecie vero ad uterum ac vaginam tendentibus, nec non orificio uteri praeter naturam clauſo.* Sua quoque animaduerſione confirmat Cl. Auctor, vaſorum uterinorum origines atque diſtributiones multum variare, quae ipſe inuenerit, candide hic exponit et nitida icone expreſſit. Praecipue notatu dignum eſt, oſtium uteri

uteri plane deesse, nec cicatricem quidem apparuisse, ut a natiuitate illud defuisse credendum sit.

Obseruatione septima proponitur *plenaria orificii uteri prolapsi et in magnam molem extensi cum vagina relaxata concretio, et nimia simul cum hac connexa vesicae urinariae crassities.* Ex mala post infelicem partum tractatione hic contigit prolapsus, uterique orificium ad instar sarcomatis in ingentem extensum fuit molem, atque concretum. Praeter haec autem magna adfuit vesicae urinariae crassities, in primis, quod ad tunicam muscularem pertinet, quae rarius solet ita inueniri, siquidem substantiam quasi referebat spongiosam fibrosamque, quae ad nerueam usque pertingebat funicam. p. 65.

X.

Disputationes ad morborum historiam et curationem facientes, quas collegit, edidit et recensuit ALBERTVS HALLERVS. Tomus primus, ad morbos capitis et colli. Lausannae, sumtibus M. M. Bousquet et soc. 1757. 4. alph. 3½. Tab. aen. 2. Tom. II. ad morbos pectoris ib. eod. alph. 3. pl. 19. tab. aen. 4. Tom. III. ad morbos abdominis. ibid. eod. alph. 3. pl. 12½. tab. aen. 6.

Cum collectio dissertationum chirurgicarum, quibus praecipua huius doctrinae capita explicantur et quam suo tempore indicauimus * communi applausu excepta sit **; simile institutum in consideratione

* vid. Comment. nostr. Vol. IV. P. IV. p. 710 seqq. et Vol. VI. P. II. p. 226 seqq.

** Parisiis etiam dissertationes hae, ita tamen contractae, ut ex qualibet earum id tantum, quod rei caput est, prima-

ratione morborum internorum utile fore praenidit Ill. Collector, qui diſſertationes, quae hiſtoriam morborum illuſtrant, in varia volumina coegit, ſingulares etiam obſeruationes et epiſtolas ad Cl. viros datas adiunxit. Ex his non nullarum titulos indicare voluimus, quo ſelectum hac in re factum breuiſſimis oſtenderemus, re tamen accuratius perpenſa ſatius duximus omnium indicem ſiſtere, quo in noſtris commentariis conſpici queat, quae diſſertationes in his voluminibus contineantur.

Tomus primus ad morbos capitis et colli continet: 1) IO. NICOL. PECHLIN Diſſ. *de apoplexia*, Leid. 1667. 2) IO. STEPH. DESHAIS Diſſ. *de hemiplegia per electricitatem curanda.* Monſpel. 1749. 3) SAM. THEOD. QVELLMALZ Progr. *de viribus electricis medicis.* Lipſ. 1753. 4) Diſſ. *exhibens conſectaria electrico-medica*, Praeſ. CAROL. LINNAEO, Reſp. *Petr. Zetzell*, Vpſal. 1754. 5) Diſſ. *de epilepſia ex depreſſo cranio*, Praeſ. MATTHIA ERN. BORETIO, Reſp. *I. Godofr. Arnoldt.* Regiomonti, 1724. 6) Diſſ. *de morbo epidemico ſpasmodico conuulſiuo contagii experte.* Praeſ. CAROL. AVG. A BERGEN, Reſp. *I. Mart. Frider. Müller.* Francof. ad Viadr. 1742. 7) Diſſ. *de paralyſi brachii unius et pedis alterius lateris dyſentericis familiari.* Praeſ. PHIL. CONR. FABRICIO, Reſp. *I. Georg. Albrecht Kipping.* Helmſt. 1750. 8) SAM. THEOD. QVELLMALZ Progr. *de muſculorum capitis extenſorum paralyſi.* Lipſ. 1754. 9) HENR. LVDOLPH. HARMES Diſſ. *in cauſas morborum et mortis ſubiecti cuiusdam maniaci.* Regiomont.

primariumque argumentum depromptum ſit, ſermoni traditae gallico prodierunt, et inſcribuntur: *Collection de theſes medico-chirurgicales ſur les points les plus importans de la Chirurgie Theorique et Pratique, recueillies et publiées par M. le* BARON DE HALLER *et rédigiées en françois par* M.* 1757. *à Paris*, 12.

mont. 1744. 10) I. WOLFFG. FRID. BOENNEKEN *biga caſuum medicorum de mania obſeruatorum.* Werthemiae, 1744. 11) Diſſ. *de Nostalgia*, Praeſ. IO. IAC. HARDER, Reſp. *Io. Hofer.* Baſil. 1678. 12) Epiſtola FRID. LEBEGOTT PITSCHEL *de hydrocephalo interno.* Lipſ. 1741. 13) Diſſ. *de apoſpaſmate piae matris*, Praeſ. ALEX. CAMERARIO, Reſp. *Theoph. Frid. Faber.* Tubing. 1722. 14) Diſſ. *de duobus oſſiculis in cerebro humano mulieris apoplexia extinctae repertis.* Praeſ. IO. VALENTIN. SCHEID, Reſp. *Marco Mappi.* Argentor. 1687. 15) Progr. IVST. GODOFR. GÜNZII *de lapillis glandulae pinealis, in quinque mente alienatis, inuentis.* Lipſ. 1753. 16) Progr. ABR. VATER *de plica polonica rariſſima.* Witteberg. 1748. 17) Diſſ. exhibens *ſingulares obſeruationes de plica polonica.* Praeſ. GEORG. FRID. STABEL, Reſp. *Stephan. Mackio.* Halae, 1724. 18) Progr. GEORG. ERN. STAHL *de fiſtula lacrymali.* Halae, 1702. 19) Diſſ. *de ophthalmia venerea et peculiari in illa operatione.* Praeſ. ALEX. CAMERARIO, Reſp. *Iul. Frid. Breyer.* Tubing. 1734. 20) Diſſ. *qua viſus vitia duo rariſſima, alterum duplicati, alterum dimidiati phyſiologice et pathologice conſiderata exponuntur.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *I. Chriſtian. Heinicke.* Witteberg. 1723. 21) I. I. KLAVHOLD Diſſ. *de viſu duplicato.* Argentor. 1746. 22) Diſſ. *de nyctalopia.* Praeſ. CAROL. AVG. A BERGEN, Reſp. *I. Chriſtian. Weiſe.* Francof. ad Viadr. 1754. 23) Progr. CAROLI FRID. KALTSCHMIED *de neruis opticis in cadauere latis inuentis a compreſſione per undas facta cauſa ante mortem ſubſecutae guttae ſerenae.* Ienae, 1752. 24) Progr. SAM. THEOD. QVELLMALZ *de narium earumque ſepti incuruatione.* Lipſ. 1750. 25) Diſſ. *de verme naribus excuſſo.* Praeſ. IO. SALZMANN, Reſp. *Erneſt. Chriſtian. Honold.* Argentor. 1721. 26) Diſſ. *de ſalivatione mercuriali.* Praeſ. BERNH. ALBINO, Reſp. *Georg. Conr. de Horn.*

Horn. Francof. ad Viadr. 1689. 27) Diſſ. *de ſaliuatione critica in morbis acutis et chronicis.* Praeſ. CHRISTIAN. RÖPER, Reſp. *Abr. Flaminio Gaſton.* Halae, 1702. 28) Progr. SAM. THEOD. QVELLMALTZ *de ptyaliſmo febrili.* Lipſ. 1748. 29) Diſſ. *de ſaliuatione ſine ſaliuatione.* Praeſ. ELIA CAMERARIO, Reſp. *Georg. Tob. Weißmann.* Tubing. 1711. 30) Progr. SAM. THEOD. QVELLMALTZ *de hydrargyri viribus a ſulphure ſuſpenſis.* Lipſ. 1748. 31) Diſſ. *an per ſuffitum felicior et tutior, quam per inunctionem mercurialem, morbi venerei curatio?* Praeſ. I. DAMIAN CHEVALIER, Reſp. *Lud. Renat. Pet. Fel. le Thieullier.* Pariſ. 1752. 32) IAC. GRAINGER Diſſ. *de modo excitandi ptyaliſmum et morbis inde pendentibus.* Edimburg. 1753. 33) Theſis in ea verba: *Ergo lui venereae hydrargyrus, camphoratus.* Praeſ. HENR. MICH. MISSA, Reſp. *Guidon. Dan. Despatureaux.* Pariſ. 1756. 34) CHRIST. AREND. SCHERER Diſſ. *de calculis ex ductu ſaliuali excretis.* Argentor. 1737. 35) MARCI MAPPI Diſſ. *de gurgulionis prolapſu.* Argentor. 1660. 36) Theſis, *an in ulcere tonſillarum gangraenoſo, antiſeptica?* Praeſ. GEDEON DE RABOVRS, Reſp. *Carol. Aug. Vandermonde.* Pariſ. 1749. 37) Progr. SIMON. PAVL HILSCHER *de inſigni quodam raucedinis remedio.* Ienae, 1747. 38) Diſſ. *de deglutitionis difficilis et impeditae cauſis obditis.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *Frid. Aug. Im. Zinckernagel.* Witteb. 1750. 39) ALEX. BRVCE Diſſ. *de hydrophobia.* Edimburg. 1755. 40) Diſſ. *de Alyſſo claue.* Praeſ. RVDOLPH. IAC. CAMERARIO, Reſp. *Theod. Chriſtoph Scharff.* Tubing. 1709.

Tomus ſecundus ad morbos pectoris. 41) TIBERII LAMBERGEN Lectio inaugur. ſiſtens *ephemeridem perſanati carcinomatis.* Groningae, 1754. 42) Theſis, *ergo puerorum tuſſi clangoſae, vulgo Coqueluche, emeſis.* Praeſ. LVDOV. CLAVD. BOVRDELIN,

LER, Resp. *I. Bapt. Basseville.* Paris. 1752. 43) Diss. *de rhoncho infantis ex ulcerum paroticorum intempestiua curatione variis symptomatibus stipato.* Praes. I. HADRIAN. SLEVOGT, Resp. *I. Sebast Buchelmann.* Ienae, 1699. 44) Diss. *de Tussi*, pars prior theoretica. Praes. NICOL. ROSEN, Resp. *Eberhardo Nicolai Fratre.* Vpsal. 1739. 45) *Eiusd.* Diss. pars posterior practica. Vpsal. 1741. 46) THEOD. FORBES Diss. *de tussi conuulsiua.* Edimburg. 1754. 47) Diss. *de Spadone Hippocratico lapicidarum Seebergensium haemoptysin et phthisin pulmonalem vulgo der Seeberger Steinbrecher Krankheit, praecedente.* Praes. GEORG. DAN. COSCHWITZ, Resp. *Io. Bubbe.* Halae, 1721. 48) Diss. sistens *casum asthmatis a depressione sterni ex febre purpurata, cum orthopnoea affligente reportati, sola thoracis artificiali constrictione curati.* Praes. ABR. VATER, Resp. *Io. Otto Arnold.* Witteb. 1730. 49) Diss. sistens *aegrotum asthmaticum usu radicis scillae subleuatum.* Praes. IO. HENR. SCHULZE, Resp. *Carol. Aug. Schröter.* Halae, 1735. 50) I. GERARDI WAGNER Obseruationes 1. *de febre quadam acuta in tractu Germaniae mari balthico vicino ac praesertim Lubecae obseruatae*; 2. *de admirandis quibusdam scillae in puluere exhibitae virtutibus.* Lubec. 1737. 51) Diss. *de pleuritide aestiua rarius occurrente.* Praes. DAN. WILH. TRILLER, Resp. *Frid. Henr. Krieger.* Witteb. 1752. 52) Diss. *de pleuritide maligna miliaribus critice soluta.* Praes. ALEX. CAMERARIO, Resp. *I. Georg. Seeger.* Tubing. 1735. 53) Thesis, *ergo peripneumoniae putridae vomitoria.* Praes. GABR. ANTON IACQVES, Resp. *Ch. Thom. Guil. Guilbert de Preval.* Paris. 1750. 54) Diss. *de venaesectionis saepius in peripneumonia repetitae usu eximio singulari casu comprobato.* Praes. ANDR. ELIA BÜCHNER, Resp. *Adam Frid. Krausse.* Halae, 1753. 55) I. GERARDI WAGNER Diss. *de haemoptoes in primis vero habitualis seu phthisicae expedi-*

tiori quadam efficaciorique curatione. Lipſ. 1742. 56) Diſſ. ſiſtens *vomicae pulmonis et vicinarum glandularum laeta et triſtia exempla.* Praeſ. IO. HADRIAN. SLEVOGT, Reſp. *Chriſtophor. Granzin.* Ienae, 1708. 57) Diſſ. *qua deriuationem puris ex pectore in bronchia ad* GALENVM, *de loc. affect. lib. 5. cap. 3. exponitur.* Praeſ. IVST. GODOFR. GÜNZ, Reſp. *Io. Henr. Schmid.* Lipſ. 1738. 58) Diſſ. *de Phthiſi.* Praeſ. GEORG. ERN. STAHL, Reſp. *Chriſtian. Feder.* Halae, 1704. 59) POLYCARP. GOTTL. SCHACHER Progr. *quo inciſio phthiſici continetur cadaueris.* Lipſ. 1730. 60) Diſſ. *qua febris tertiana ob empyema a vomica pulmonis rupta in cauitatem pectoris dextram effuſum, indeque pulmonem huius lateris compreſſum penitusque ab officio remotum mortem poſt ſe relinquens exponitur.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *I. Ephraim Mutillet.* Witteb. 1731. 61) Diſſ. *qua quid in iudicio et prognoſi de morbis magnis ex paruis initiis et leuioribus cauſis oriundis obſeruari debet exemplo viri antegreſſo lapſu in genua lenta febre extincti docetur.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *I. Chriſt. Frid. Rupp.* Witteb. 1744. 62) GEORG. ERN. STAHLII Excuſatio *reſpondens examini pulſuum celeris et frequentis, eorumque conſensus diſtinctio cet.* Halae, 1702. 63) Diſſ. *de pulſu intermittente et decrepitante.* Praeſ. BVRC. DAV. MAYCHART, Reſp. *I. Rudolph. Camerario.* Tubing. 1748. 64) I. GEORGII BECK Diſſ. exhibens *hiſtoriam de viro, palpitatione cordis et aſthmate violento mortuo cet.* Gieſſae, 1718. 65) Diſſ. *de ſteatomatibus in principio arteriae aortae repertis et de cyſticis in genere excrescentiis.* Praeſ. CHRIST. GODOFR. STENTZEL, Reſp. *Georg. Philipp. Sauber.* Witteberg. 1723. 66) Diſſ. *de arteria coronaria inſtar oſſis indurata.* Praeſ. IO. FRID. CRELL, Reſp. *Godofr. Sam. Reinhold.* Witteb. 1740. 67) Diſſ. *de ſubitanea morte a ſanguine in pericardium effuſo.* Praeſ. IO. SALZMANN, Reſp. *Io. Goeritz.* Argentor. 1731. 68) Diſſ. *de exulcera-*

tione

tione pericardii et cordis exemplo illuſtrata. Praeſ. SIM. PAVL. HILSCHER, Reſp. *Caſimir. Chriſtoph. Schmidel.* Ien. 1742. 69) Progr. CAROL. FRID. KALTSCHMIED *de variis praeternaturalibus in ſectione cadaueris inuentis.* Ien. 1751. 70) Diſſ. GEROG. GOETZ *de polypoſis concretionibus variorum in pectore morborum cauſis.* Altdorf. 1726. 71) POLYCARP. GOTTLIEB. SCHACHER Progr. *de polypis.* Lipſ. 1721. 72) Diſſ. *de praecauenda polyporum generatione.* Praeſ. FRID. HOFFMANN, Reſp. *Philip. Adolph. Boehmer.* Halae, 1736.

Tomus tertius ad morbos abdominis. 73) I. IAC. RITTER Diſſ. *de impoſſibilitate et poſſibilitate abſtinentiae longae a cibo et potu.* Baſil. 1737. 74) Diſſ. *de fame lethali ex calloſa oris ventriculi anguſtia.* Praeſ. DAN. WILH. TRILLER, Reſp. *I. Ephraim. Frid. Buliſio.* 1750. 75) GEORG. AVG. LANGGVTH Progr. *de tabe ſicca lethali ex calloſa pylori anguſtia.* Witteberg. 1750. 76) Diſſ. *de Cholera morbo.* Praeſ. HENRICO HENRICI, Reſp. *Io. Frid. Meſſer.* Halae, 1710. 77) IO. KAEMPF Diſſ. *de infarctu vaſorum ventriculi.* Baſil. 1751. 78) Diſſ. *de raro ventriculi abſceſſu.* Praeſ. GOTHOFR. SAND, Reſp. *Georg. Albert. Stolz.* Regiomont. 1701. 79) Theſis, *ergo ab omni re cibaria vaſa aenea prorſus ableganda.* Praeſ. CAMILL. FALCONET, Reſp. *Franciſc. Thiery.* Pariſ. 1749. 80) PAVL. HENR. GERARD. MOEHRING Epiſt. *quae mytulorum quorundam venenum et ab eo natas papulas cuticulares illuſtrat.* Bremae, 1742. 81) Diſſ. *de aere microcoſmi factitio.* Praeſ. DAN. HOFFMANN, Reſp. *Ferdin. Chriſtoph. Oetinger.* Tubing. 1737. 82) Diſſ. *de Chordapſo Celſi.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *I. Laur. Weidner.* Witteb. 1738. 83) Diſſ. ſiſtens *docimaſiam ſigna, cauſas et noxas vini lithargyrio mangoniſati.* Tubing. 1707. 84) Diſſ. *ergo morbo, colica pictonum dicto,*

venaeſectio in cubito. Praeſ. IO. ASTRVC, Reſp. *Petr. Ludov. Mar. Maloet.* Pariſ. 1751. 85) I. BAPT. DV BOIS Diſſ. *non ergo colicis figulis venaeſectio.* Pariſ. 1751. et item 1756. 86) I. GVILIELM. ELSMANNI Diſſ. *de colica ſaturnina metallurgorum.* Goetting. 1752. 87) IO. ERN. KÜHNII Diſſ. *de Ileo.* Leid. 1702. 88) I. GOTTL. LEIDENFROST Diſſ. *de voluulo inteſtini ſingulari.* Duisburg. 1750. 89) MART. IAC. KVPFFER Diſſ. ſiſtens *voluulum ſanguineum eiusque curationem in viro quodam.* Regiomont. 1720. 90) LAVR. GRVBER Diſſ. *de febre acuta epidemica exanthematico-dyſenterica.* Baſil. 1747. 91) Diſſ. *de dyſenteria epidemica maxime contagioſa et maligna cet.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *I. Gottlieb. Vogel.* Witteb. 1747. 92) Diſſ. *de ſingulari quadam Indorum orientalium dyſenteria eiusdemque praecipua a noſtrate differentia.* Praeſ. ANDR. ELIA BVCHNER, Reſp. *I. Thom. Laurich.* Halae, 1752. 93) SAM. ERNST Diſſ. *de taenia ſecunda* PLATERI. Baſil. 1743. 94) I. GOTTLIEB. BAVER Epiſt. *de motu inteſtinorum.* Dreſd. 1747. 95) SIGISM. KOENIG *lithogeneſias humanae ſpecimen duabus epiſtolis ad Soc. R. BRIT comprehenſum.* Bernae, 1685. 96) EX IM. MAN. WEISMANN *hiſtoria lithotocae mulieris.* Tubing. 1716. 97) Diſſ. *qua pars inteſtini ieiuni per guttur inferius excreta ſalua manente aegri vita deſcribitur.* Praeſ. IO. IAC. LEMEKE, Reſp. *Andr. Weſtphal. Gryphiswald.* 1741. 98) GEORG. ERH. HAMBERGER *de ruptura inteſtini duodeni.* Ienae, 1746. 99) CAROL. FRID. KALTSCHMIDT *de ileo a ſcrupulis pirorum meſpilaceorum eroſo et perforato.* Ien. 1747. 100) Diſſ. *de abſceſſu meſenterii et muſculorum abdominis plane ſingulari.* Praeſ. HENR. HENRICI, Reſp. *Georg. Ludov. Nottnagel.* Halae, 1712. 101) Diſſ. IO. GEORG. SCHERB *de calculo receptaculi chyli, hydropis cauſa.* Lugd. Bat. 1729. 102) Diſſ. exhibens *hepatite defunctorum extiſpicia.*

Praeſ.

Praeſ. RVD. IAC. CAMERARIO, Reſp. *Ion. Brunner.* Tubing. 1716. 103) ABR. VATER Progr. *quo hepar in hydrope ſaepius inſons eſſe e ſectione viri ante duas ſeptimanas poſt diuturnum alui fluxum cruentum tandem hydrope defuncti demonſtrat.* Wittemb. 1720. 104) AVG. FRID. WALTHER Progr. *de atra bile.* Lipſ. 1741. 105) Diſſ. *Scrutinium icteri ex calculis veſiculae fellis occaſione caſus cuiusdam ſingularis.* Praeſ. ANDR. PETERMANN, Reſp. *I. Günther Albrecht.* Lipſ. 1696. 106) I. GEORG. BEZOLD. Diſſ. *de cholelitho.* Argent. 1725. 107) I. ANDR. WISLICEN, *lapides bilioſo-lymphatici per metaſtaſin febris catarrhalis exorti, ac per abdomen exulceratum exitus.* Lipſ. 1742. 108) Diſſ. *de calculis biliariis.* Praeſ. HERRM. FRID. TEICHMEYER, Reſp. *Wilh. Henr. Aug. Stroehlein.* Ien. 1742.

XI.

Recueil Periodique d' Obſervations de Medecine, Chirurgie, Pharmacie etc. Par M. VANDERMONDE Docteur Regent de la Faculté de Medecine de Paris. à Paris. Chez Vinzent. MDCCLVI. 8. Tome V. alph. 1. pl. 7. et Tome VI. MDCCLVII. alph. 1. pl. 7.

h. e.

Collectio Periodica obſeruationum ad artem ſalutarem chirurgiam, pharmaciam etc. pertinentium. Auctore Cl. VANDERMONDE etc. Tom. V. et VI.

In Tom. V. menſe Iulio 1756. deprehenditur

1) *Continuatio experimentorum, quae de irritabili-* p. 7.
tate et ſenſibilitate partium inſtituit Ill. de HALLER.

p. 25. 2) *Litterae*, quas *de effectu alcali volatilis in malo gulae gangraenoſo ad Editorem huius diarii* dedit Cl. MAIAVLT. Aquae nimirum communis uncias ſex cum ſpiritus vini duabus totidemque alcali volatilis, atque uncia una cum dimidia mellis roſati commiſcuit, cuius mixturae vaporem ore dein aperto per triginta ſex horas hauri iuſſit. Quo facto malum gangraenoſum in amygdalis conſpiciendum non ſolum ſubſtitit, verum et noua inflammatione excitata partes gangraenoſae abſceſſerunt atque aegra intra nouem dies malo hoc liberata fuit.

p. 31. 3) *Obſeruatio de vomitu hyſterico.* Auctore Cl. POMME *filio.* Foemina fluxu menſium inordinato ſemper laborans vomitu tandem inſigni cruciata fuit, ita, ut ne guttulam quidem fluidi retinere potuerit. Remediis antihyſtericis fruſtra tentatis, quid? quod malo hiſce potius aucto, aegram tandem quotidie per decem horas in balneum ducendam curauit, et ſeptimo tunc elapſo die ei priſtinam ſanitatem reſtituit. Laudat itaque balneum ceu verum affectuum hyſtericorum antidotum, contra vero ſic dictis antihyſtericis ſpaſmos uterinos augeri, aſſerit.

p. 33. 4) *Litteras de imperio animae in corpus* ad Cl. DILVM, dedit Cl. SAUVAGES. In his Cl. Auctor diſputat contra Cl. SCHREIBERVM, dicentem, animam non agere in corpus. Hic enim ex reſiſtentia corporum mutua animae inertiam demonſtrare, anniſus eſt. Cum autem corpora tantum in ſe mutuo agere ſibique inuicem reſiſtere Noſter oſtendat, hisque nullam contra ens ſimplex reſiſtentiam eſſe, pariter probet, inde animam ceu ens ſimplex in corpus agere, absque eo, ut reſiſtentiae detur locus, concludit.

p. 39. 5) *Obſeruatio de ſingultu quodam periodico.* Auctore Cl. HAZON. Suppreſſis nimirum menſtruis, et ſuppreſſa pariter euacuatione ſeroſa, ex ventriculo proueniente et per os abundanter fluente, ſingultus ſtatim

ſtitim obortus per triginta ſex horas durauit, dein viginti quatuor horas remiſit, denuoque accedens idem tempus durans iterumque remittens per aliquot tempus ita continuauit. Contra omnia remedia tonica et anodyna iſte rebellis euacuatione tandem hydragoga cicuratus fuit.

6) *Litteras de catalepſi ad Editorem huius diarii* dedit Cl. PEFFAVLT DE LA TOVR. Obſeruationi de hoc morbo praemiſſae ſuam tandem de eodem apposuit ſententiam. Cauſam nimirum huius morbi proximam in ſanguine, abundanter caput petente, inque fluido nerueo copioſe hinc ſecreto conſiſtere, aſſerit. Cum autem nerui tunc plethora quaſi laborent, eorum inde actionem imminui, imo ob lentorem tunc oriundum, ad tempus prorſus extingui, arbitratur. p. 41.

7) *Conſectaria practica, a ſtructura oſſium parietalium deſumta* inſeruit Cl. BERTIN. Cum oſſa parietalia multo minus ac reliqua capitis oſſa obtegantur, et aponeuroſi tantum muſculorum frontalium cute et pericranio inueſtiantur, Noſter ideo oſſa iſta hanc ob cauſam facilius fracturis obnoxia eſſe, oſtendit. Horum autem fracturam periculoſam ſemper, et infantibus in primis fieri, declarat. Cum enim arteriae interius per haec oſſa decurrant, quae, iſtis fractis, facillime rumpuntur, et ſanguinem hinc, cerebrum poſtea comprimentem, effundunt, certe non mirum eſt, ſi tam periculoſi eam ſequantur effectus. Siquae praeterea attendatur, quod oſſa iſta in infantibus ſaepe caſu frangantur, absque eo, ut poſt caſum ulla ſaepe laeſio, per tempus tantum ſeſe manifeſtans et mortem tunc plerumque ſecum ferens, animaduertatur, facile quiuis, talem fracturam, in initio vix conſpiciendam, et non niſi tempore elapſo effectibus ſuis ſe manifeſtantem difficulter aut plane non curari, atque mortem ob extrauaſiti liquoris corruptionem ineuitabiliter ſequi, concedet. Vt igitur p. 48.

triſtes iſti caſus, mortem fere ſemper ſequm ferentes, euitentur, capiti ea propter infantum, ſaepiſſime cadentium, ceſticillum, vulgo *Fallmützgen*, continuo imponendum ſuadet.

p. 57. 8) *Litteras, de vulnere, pectori inter venatum per ſclopetum, inflicto, ad Editorem huius diarii* dedit Cl. DVPVIS. Vulnus, cuius mentio hic facta eſt, primo leue apparuit, auctis autem ſymptomatibus et vulnere accuratius examinato et dilatato ultimam verarum coſtarum medio in loco fractam Noſter reperit. Variis igitur rebus, ad hiſtoriam et curam illius vulneris pertinentibus, enarratis tandem Cl. Auctor, aegrum, vulnere conſolidato, pro reſtituto inde habitum ſanguinem materiaeque purulentae copiam exſpuiſſe, hisque fere ſuffocatum, paulo poſt variolis correptum fuiſſe, perhibet. Verum hisce curatis vulnus poſtea quod, antea conſolidatum tam periculoſa ſtatim ſecuta ſunt ſymptomata, ultra menſem apertum ſeruauit; quo facto nulloque pure aut peregrino corpore ultra exeunte, iſtud tandem ad cicatricem perduxit, aegrumque in integrum reſtituit.

p. 67. 9) *Litteras, de lapide quodam, ſub lingua hominis reperto, ad Editorem huius diarii* dedit Cl. LEAVTAVD. Lapis iſte, qui febrem continuam continuumque ſaliuae effluxum excitauit, a Cl. Auctore tandem extractus oui columbini magnitudinem aequauit et adeo friabilis fuit, ut intra manus teri potuerit. Lapide extracto cuncta ceſſarunt ſenſim incommoda.

p. 69. 10) *Obſeruatio de lapide quodam in palato generato.* Auctore Cl. KRVGER. Inflammatione in faucibus prius oborta et tumore poſtea rupto tandem una cum pure lapis ſat magnus, cineritius leuis et compactus exiit.

p. 73. 11) *Obſeruationes nouas de liquore, Eau de Luce,* dicto, inſeruit Cl. CASTELL iunior, hisque liquorem hunc ope ſaponis, in alcali volatili ſoluendi, quam

quam tamen rem negat Cl. MACHY, parari omnino posse, ostendit.

12) *Morbillos anomalos epidemicos anno* 1749 *et* 1750. *Florentiae* obseruauit Cl. TARGIONI TOZETTI. De his tantum notamus, quod multos homines plus quam semel inuaserint, copiose eruperint, et, diarrhoea accedente, una cum febre et tussi statim disparuerint, absque eo, ut praeter debilitatem, nullum symptoma molestum obseruari dein potuerit. p. 73.

In *mense Augusto* 1756. occurrit

1) *Continuatio experimentorum, quae de irritabilitate et sensibilitate partium* instituit Ill. DE HALLER. p. 83.

2) *Obseruationem practicam singularem annotauit* Cl. MAIAVLT. Homo, malo quodam gulae laborans, nullum fluidum absque tussi violenta bibere potuit. Id Cl. Auctor obseruans et epiglottidem in sinistro latere erosam coniiciens caput ad dextrum latus verti tuncque hominem istum bibere iussit: quo facto, sat magnam absque ullo fere incommodo liquidi copiam sumsit. Homine post aliquot tempus ob marasmum defuncto et dissecto, id, quod coniectura assecutus fuit, confirmatum nunc vidit. Ex his igitur iis, qui ob gangraenam, malum venereum et scorbutum epiglottidem arrosam habent, et absque metu suffocationis nullum fere liquidum sorbere possunt, spem proinde, liquida, capite in latus quoddam flexo, sumendi affulgere, Noster concludit. p. 91.

3) *Obseruationem de expulsione foetus mortui et in matris ventre corrupti post febrem putridam malignam* addidit Cl. DVPVY DE LA PORCHERIE. p. 95.

4) *Obseruatio de apertura umbilici, per quam chylus et vermes in intestinis contenti exierunt.* Auctore Cl. MARTEAV. p. 100.

5) *Litteras de hemeralopia ad Editorem huius diarii* dedit Cl. FOVRNIER. His Cl. Auctor ostendit, p. 102.

morbum

morbum hunc, quem ſuperius * deſcripſit, non in contracta, uti BOERHAAVIVS aſſerit, ſed in dilatata pupilla conſiſtere, ſuamque hanc ſententiam exemplo aliquo confirmare ſtudet.

p. 108. 6) *Obſeruatio de vitio quodam conformationis ſingularis.* Auctore Cl. GOVPIL. *filio.* Obſeruauit mirum in pueri tredecim annorum, tunc temporis adhuc viuentis abdomine ad umbilicum tumorem, magnitudine oui gallinacei, per quem urina prodit. Iuxta hunc dextrorſum rimam, ex qua interdum foetor quidem ſed nulla excrementa exierunt, vidit. In ſcroto praeterea nulli apparuerunt teſticuli, atque id, quod virilis membri formam habuit, non perforatum fuit.

p. 110. 7) *Diſſertatio de utilitate, quae ex calculi ſectione, ſecundum Celſi methodum inſtituenda, noſtris etiam temporibus hauriri poteſt.* Auctore Ill. HEISTER. His ſumma traditur diſſertationis, quam ante aliquot annos de eodem argumento Ill. Auctor exarauit. Primo itaque operationem hanc, CELSO adſcriptam, ab eo non inuentam, ſed accurate duntaxat primum deſcriptam eſſe, oſtendit. Cum autem Noſter de huius operationis utilitate perſuaſus ſit, eam igitur deſcribere et laudare non dubitauit. Praeferendam iſtam nempe cupit ob apparatum, qui minor multo eſt, quam ille, qui ad ſectionem lateralem inſtituendam adhibetur, imo ob maiorem ſecuritatem huic illam anteponit et commendat. Operatio ita deſcribitur: Aegri ad ſectionem praeparati orificio ani unus aut pro aetate duo digiti immittuntur, hocque facto chirurgus calculum ſuper inteſtinum rectum ad dextrum perinaei latus ducere ſtudet, ita, ut hoc in loco protuberantia oboriatur; dein autem ſcalpello ibi adacto inciſuram trium aut quatuor digitorum facit, et omnes ſubiacentes partes ad veſicam uſque diſcindit, ita ut lapis in conſpectum veniat, rectum autem

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. II. p. 216.

tem inteſtinum ab omni laeſione caueatur. Poſtea digitis in anum immiſſis lapidem expellere tentat, et ſi iſte inciſura maior eſt, aliam tranſuerſalem iterum in laterali et inferiori parte veſicae facit, tuneque lapidem educit. Operatio haec in omnis aetatis hominibus ſuſcipi poteſt, ſeque ob ſequentes rationes commendat. Ob ſimplicitatem nimirum et paucitatem inſtrumentorum, dein ob neceſſitatem, ſi ſtilus in veſicam duci nequit; porro ob inſtrumenta, quae in apparatu magno adhibenda, non nullas partes ſaepe laedunt, tum ob inciſionem hac methodo facilius quam alia faciendam, tandem cum ſectio, alia methodo ſuſcepta lapidem nec ita, ut haec, ob oculos ponat, omnemque uſum haec methodus pariter praeſtet ac aliae, contra vero ab omni damno libera ſit, eaedemque partes hac quam laterali ſectione diſcindantur; hanc ergo methodum cunctis anteponit.

8) *Obſeruatio de fractura cruris complicata.* Auctore Cl. HENRY. p. 119.

9) *Epitome orationis, quam in horto regio d.* 10. *Iun.* 1756. *ſub auſpiciis praelectionum botanicarum habuit* Cl. DE IVSSIEV. p. 122. Oſtendit in hac Cl. Auctor, quantam utilitatem habeat botanices cultura, quid ea in conſeruanda ſanitate praeſtet, quidue, ſi labefactata haec ſit, in reſtituenda illa valeat. Laudat igitur eorum induſtriam, qui in cauſas vegetationis inquirunt, quiue plantas ſecundum anni tempora, loca natalia curant, et incrementum earum promouere ſtudent. Eos deinceps extollit, qui plantas, quoad externam internamue ſtructuram diſquirunt, accuratasque hinc obſeruationes in commune bonum colligunt. Laudibus tandem et eos effert, qui plantarum partes conſtituentes, unde tam diuerſi effectus dependeant, examinant. His expoſitis denique enarrat, qua ratione haec ſcientia beneficiis Regis incrementum nunc coeperit, quidue iſtud in promouenda botanices cultura Pariſiis nunc valeat et praeſtet.

10) *Diſ-*

p. 134. 10) *Dissertatio de non nullis remediis in malo ino-dolis variolis bonam opem ferentibus.* Auctore Cl. VALNIER. Cum de insitionis variolarum effectu inter Parisienses salutari sibi persuadere non potuerit Cl. Auctor, aliam igitur, variolas curandi methodum eligit, hasque vel in eruptione impedire vel eruptarum malignitatem auertere mitesque eas reddere studet. BOERHAAVII itaque sententia monitus Noster asserit, variolas in eruptione impediri, atque aegrotantes ab imminentibus feliciter liberari, si accurata non solum diaeta sed et venae sectio et antiphlogistica cura adhiberetur. Hanc autem rem vere euenisse, Cl. Auctor expertus confirmat. Ad ipsas variolas iam eruptas quod spectat, si quarto vel quinto die statim post eruptionem iterum dispareant, balneis, ita, ut aegrotantes ad confinia colli usque immergantur, optimo cum effectu Noster utitur. Quo autem facto variolae non solum redierunt, sed et aegrotantes optime restituti sunt. In variolis confluentibus pone aures, in nucha, femoribus et cruribus vesicatoria bono cum successu adhibuit. Cum autem tam in variolis confluentibus quam ipsis discretis a pure resorpto febris sic dicta secundaria persaepe oriatur, haecque haud raro aegrotantes e viuis tollat, Noster ideo, quo cuncta funesta symptomata euitentur, pustulas ope instrumenti cuiusdam aperiri iubet. Optime enim rem successisse, atque febrem secundariam non solum impeditam verum et aegrotantes optime tunc visos fuisse, perhibet, hincque omnibus hanc methodum commendat. Atque haec sunt primaria, quae prae reliquis annotare licuit.

In *mense Septembri* 1756 deprehenditur

p. 163. 1) *Continuatio experimentorum, quae de irritabilitate et sensibilitate partium instituit* Ill. DE HALLER.

p. 170. 2) *Breuis relatio de plurium hominum a lupo furioso demorsorum curatione.* Auctore Cl. ROSE. Vulneribus

bus nimirum, a rabida beſtia inflictis, unguentum mercuriale applicuit, et per aliquot tempus continuauit, ita, ut omnes, quibus remedium hoc applicitum fuit, ab hydrophobia liberi prorſus euaſerint.

3) *Obſeruatio de rabie eiusque curatione.* Auctore Cl. DV CHOISEL, *e Societ. Ieſu.* Inter alia, quae hic occurrunt, notamus iterum, mercurium hominibus, ab animali rabido demorſis exhibitum, laudabiles praeſtitiſſe effectus. In India enim, ubi medicinam fecit Cl. Auctor, crebrius hydrophobiam, ob copiam animalium rabidorum, obſeruari, iſthoc autem remedio demorſos vel ab hydrophobia praecaueri vel etiam ab eadem iam praeſente liberari perhibet. Applicuit autem mercurium externe in unguento, interne vero eundem in pilulis propinauit, malumque hoc, vel ſaliuatione excitata, vel etiam ſaepiſſime absque ea debellari, annotauit. p. 184.

4) *Litterarum, quas ad Cl.* CAMBON *dedit Cl.* MOREL, *epitome de oſſium parietalium ſeparatione notatu digna.* In foemina nimirum poſt laborioſum partum capitis dolore diu cruciata oſſa parietalia ſenſim ſenſimque a ſe inuicem ita diſceſſerunt, ut pollex commode intra haec oſſa mitti potuerit. p. 201.

5) *Animaduerſiones de diuerſa frictionum ſpecie, deque diuerſis earundem effectibus.* Auctore Cl. LOVIS. Triplicem nimirum frictionum ſpeciem conſtituit, quarum primam fortem, alteram lenem et tertiam moderatam appellat. Prima, forti nempe, partes contrahi et roborari, hancque repetitam rarefacere, reſoluere et attenuare atque in rheumatiſmis et id genus aliis conuenire, autumat. Altera, quae lenis dicitur, partes et in primis cutem emolliri et laxari, hinc tranſpirationem promoueri, putat. Tertia tandem, quae inter hanc et illam medium quaſi locum obtinet, quaeque ideo moderata dicitur, ſanguinem et fluidum nerueum allici, hincque podagram, ea adminiſtrata, ſaepe reuocari, aſſerit. Aſt bene tamen p. 207.

men ad corporis conſtitutionem attendendum ſimul eſſe, monet. Saepe enim debilibus frictionem, quae robuſtis moderata eſt, fortem eſſe, hinc pro ratione corporis frictionem inſtituendam ſuadet.

p. 213. 6) *Litterae, quas ad Editorem huius diarii dedit* Cl. LE CAT.

p. 214. 7) *De conſtruendo nouo inſtrumento, urinam ex vesica ducente, eiusdemque utilitate breuis diſſertatio,* Auctore Cl. DARAN. Cum in promouenda lotii retenti excretione inſtrumenta hactenus uſitata ſpertum effectum ſaepe non praeſtiterint, aliud ea propter huius generis inſtrumentum excogitauit Noſter, cuius utilitatem in multis caſibus, ubi alia nihil praeſtiterunt, expertus eſt. Conſtruxit nimirum ſpeciem cauum ex filis orichalceis flexilibus ſpirae in modum contortis atque tela ex utraque parte emplaſtro illita obductis, cuius cauo ſtilum ex filis pariter orichalceis paratum indidit. Hocce igitur inſtrumento multo cum fructu urinam retentam eductam fuiſſe, perhibet. Cum vero in deſcribenda huius inſtrumenti conſtructione Cl. Auctorem ob breuitatis ſtudium ſequi nequeamus, eos igitur, qui exactam huius inſtrumenti deſcriptionem deſiderant, ad ipſum hunc librum ablegamus.

p. 224. 8) *Litterae, quas de diuerſo, liquorem, Eeau de Luce, dictum praeparandi modo ad Editorem huius diarii dedit* Cl. LE CHEVALIER DE LA CHAPELLE. Liquor hicce, cuius mentio ſuperius a nobis iam facta eſt, cum Pariſienſibus adeo in uſu ſit et pro arcano huc uſque habeatur, multos inde ad praeparationem tentandam excitauit. Cum autem ipſae has praeparationes varient, Noſter ideo eas ſub examen vocauit, atque, quicquid multi praeſtiterint, narrauit.

In *menſe Octobri* 1756 *occurrit*

p. 243. 1) *Finis experimentorum, quae de irritabilitate et ſenſibilitate partium inſtituit* Ill. DE HALLER.

2) *Obſer-*

2) *Obſeruationes de morbis verminoſis.* Auctore Cl. DIANYERE. p. 252.

3) *Experimenta noua de effectibus electricitatis in morbis compluribus.* Auctore Cl. ZETZELL. In variis nimirum hominibus, diuerſo morborum genere laborantibus, experimenta inſtituit, atque hinc nihil certi determinari poſſe, animaduertit. Multos enim ita tractatos, a morbis quidem liberatos, ſed non multo poſt iisdem iterum afflictos eſſe, quid? quod in non nullis morbos plane non ceſſaſſe, in aliis autem morbos feliciter profligatos, nunquam iterum reuerſos fuiſſe, perhibet. Inde ergo ſalutares effectus hosque quidem certos indubitatosue in medicina ab electricitate expectandos hactenus vix eſſe, colligit. p. 254.

4) *Obſeruatio, de verme lato, taenia dicto.* Auctore Cl. GONTARD. Potione nimirum, ſuperius et inferius euacuante, ſumta vermis ſex pedum longitudine expulſus fuit. Dum hicce adhuc intra inteſtina latuit, ſaepe foemina de aſcenſu et deſcenſu cuiusdam rei conqueſta eſt, nulla autem fame praeter naturam vexata. Verme poſthac expulſo non amplius ſenſum iſtum animaduertit. p. 261.

5) *Obſeruatio de tumore hepatis ſcirrhoſo.* Auctore Cl. BON. p. 268.

6) *Litterae, quas ad Editorem huius diarii dedit* Cl. LEBEVF *ſenior, hominis* mentionem faciunt, *per cuius virile membrum ſtato tempore, uti foeminis per vaginam ſolemne eſt, ſanguis effluxit.* In eodem homine, in quo ſtatus iſte praeternaturalis obſeruatus fuit, mammam etiam eiusdem magnitudinis et ſtructurae, quae foeminis eſt, Cl. Auctor reperit, atque, quod huic ſingulare fuit, eius etiam patri et quinque fratribus familiare eſſe, notauit. p. 280.

7) *Obſeruatio de tumore ſcirrhoſo, vermibus repleto.* Auctore Cl. DELESTRE. Tumor iſte paulo ſupra angulum internum oculi dextri ſedem habuit, et, ob magnitudinem viſum plane aboluit, quo autem p. 281.

aperto una cum materia ſebacea multi vermes, magnitudine grani ſecalis exierunt. Praeter cicatricem paulo eleuatam nullum incommodum remanſit, et aegrotans priſtinum oculi vigorem recuperauit.

p. 288. 8) *Obſeruatio de duabus herniis completis.* Auctore Cl. LAVRENCY.

p. 289. 9) *Obſeruatio de ſuppreſſione quadam urinae.* Auctore Cl. LEAVTAVD.

p. 291. 10) *Obſeruatio de fractura brachii cum concomitante gangraena, ob quam amputatio ſuſcepta eſt.* Auctore Cl. BRILLOVET. Notatu dignum hic eſt, quod amputationem prope humerum inſtituerint, torculare, *Tourniquet* dicto, remoto praeter aliquot guttas ſanguinis, ex muſculis tantum prouenientes, nullum ſanguinem ex arteria egredientem obſeruauerint.

p. 294. 11) *Scrutinium cauſarum doloris ad partum.* Auctore Cl. MELLET. Variis de hac re ſententiis examinatis et minus ſufficienter viſis, Noſter inde cauſas dolorum ſequentes agnoſcit. Vel enim dolores a forti compreſſione, quam uterus a muſculis abdominalibus extenſis, foetumque prementibus, accipit, vel a capite infantis, uteri orificio interno, infixo, idque verſus os comprimente, maxime autem ab uteri actione in foetum deducendos eſſe, Noſter ſtatuit.

p. 307. 12) *De liquorem, Eau de Luce dictum, praeparandi modo absque intermedio.* Auctore Cl. BETBEDER. Hic liquor ita a Cl. Auctore deſcribitur: *l'Eau de Luce eſt liquor lacteus, volatilis, valde penetrans ex ſpiritu ſalis ammoniaci cum oleo ſuccini coniuncto paratus.* Hunc ſequenti modo parat Noſter: Oleo ſuccini bene rectificato affundit duplum ſpiritus ſalis ammoniaci concentrati, hancque miſcelam vaſi vitreo, epiſtomio arcte clauſo, indit et per aliquot dies in pera braccarum ſecum fert, poſt hac ſpiritum ſalis ammoniaci eadem quantitate, qua antea, denuo affundit, iterumque per aliquot dies ſecum fert, quo facto

facto, ſuccini oleum in ſpiritu iſto tandem ſolutum lacteumque liquorem obtinet. Hunc igitur ita paratum aquae miſceri poſſe et verum liquorem, *Eau de Luce*, eundemque, cuius inuentor Cl. DVBALEN dicitur eſſe, Noſter perhibet.

13) *Obſeruationes chemicae et practicae de virtute aquae calcis viuae ad ſoluendum calculum.* Auctore Cl. WHYTT. * p. 311.

In *menſe Nouembri* 1756 occurrunt

1) *Noua experimenta de irritabilitate.* Auctore Cl LORRY. Partium irritabilitatem a ſenſibilitate dependere, Cl. Auctor aſſerit. Experimenta autem, quae inſtituit, cutem, pericranium, perioſtium duramque matrem ſenſu gaudere, probant. Aſt cerebrum nullo, medullam contra oblongatam eo praeditam eſſe confirmant. Quod ad infimi ventris viſcera ſpectat, peritonaeum inſenſibile omniumque pariter viſcerum membranam exteriorem ſenſu deſtitutam, interiorem autem ſenſibilem omnino Noſter reperit. De gradu autem ſenſibilitatis notat, eum in aliis plus, in aliis minus obſeruari, ita tamen, ut ad partes maxime ſenſibiles interior inteſtinorum, ureterum et veſicae membrana referri mereatur. Vnde etiam Noſter varias, hasque adeo dolorificas, affectiones, in partibus iſtis ſedem figentes, deducit. p. 323.

2) *Deſcriptio morbi ſingularis cutis.* Auctore Cl. BILLEBAVLT, *filio.* p. 340.

3) *Obſeruationes de calculis biliariis.* Auctore Cl. BOVCHER. Cum non nulla de his cognita exiſtimemus atque de hoc argumento non nulla etiam hinc inde a nobis iam recenſita proſtent, pauca tantum ex his adducere liceat. Notamus igitur, non nullos a Cl. Auctore obſeruatos eſſe calculos, qui fundum petierunt, nullamque flammam, igni admoti conceperunt. Tales autem ut plurimum nigros, p. 346.

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. Part. IV. p. 611.

graues et compactos a flauis, leuioribus sese distinguere, multoque minorem olei copiam in se continere, hincque forte ex lympha crassa coagulata, pauxcum oleum inuoluente, formatos esse, asserit.

p. 364. 4) *Nouae obseruationes chemicae et practicae de sale naturali urinae hominis.* Auctore Cl. SCHLOSSER.*

p. 380. 5) *Litterae, quas de foetu in tuba Fallopiana reperto ad Editorem huius diarii dedit* Cl. VAN-DER-BELEN. Huic obseruationi aliam simul subiunxit. In ouario nimirum virginis, de cuius castitate persuasus fuit Cl. Auctor, corpusculum flauum, pisi magnitudine, obseruauit, quam tamen rem non nisi in foeminis maritatis obseruari posse, alii statuunt.

p. 384. 6) *Obseruationes nouae de effectubus, quos ratione deriuationis et reuulsionis praestat venae sectio.* Auctore Ill. DE HALLER.**

p. 392. 7) *Obseruatio de singulari quadam constitutione hominis, cuius facies in monstrosam deformitatem abiit, quemque vulgo appellarunt, Caput vitulinum.* Auctore Cl. RANSON. Hic notamus, hominem, cuius facies insigniter intumuit et in rugas monstrosas degenerauit, absque ulla labe natum fuisse et ad annum decimum quintum usque sanum vixisse, eo tantum excepto, quod in palpebris tumores gesserit, ita sensim auctos, ut tota dein facies istam deformitatem acquisiuerit. Delineata huius capitis figura, hic adiecta, rem magis illustrat.

In *mense Decembri* 1756 deprehenditur:

p. 403. 1) *Continuatio experimentorum, quae de irritabilitate instituit* Cl. LORRY. Pleuram valde sensibilem, mediastinum autem exiguo sensu praeditum, nullumque prorsus in exteriori pulmonum et pericardii membrana deprehendit. Ast pulmones incisos et spiritu nitri tactos exquisite sensibiles, nullo autem modo

* vid. Comment. nostr. Vol. III. Part. I. p. 60.
** vid. Comment. nostr. Vol. V. P. IV. p. 639.

modo cor et vaſa maiora, exterius irritata, ſenſibilia animaduertit. Tendines et aponeuroſes, inſtrumento acuto irritatas, ſenſiles, ſpiritu autem nitri tactas, inſenſibiles deprehendit. Ad muſculos quod ſpectat, de his, num ad partes ſenſibiles pertineant nec ne, difficile iudicium ferri, Noſter aſſerit. Ex variis enim diuerſisque partibus eos compoſitos eſſe, monet, inque illis interdum exquiſitum interdum nullum ſenſum obſeruatum eſſe, affirmat. Ex his itaque ſenſus principium in neruis quaerendum eſſe colligit. His enim irritatis exquiſiti doloris ſigna dediſſe animalia, perhibet. Quod ad ipſos effectus pertinet, non ſolum ad dolores ſed et ad motus in partibus irritatis obſeruandos attendendum eſſe, Cl. Auctor innuit. Multas namque partes irritatas ſaepe moueri, absque eo, ut ſenſum experiantur, aſſerit. Pupilla e. g. luminis radiis irritata absque ullo ſenſu contrahitur, contra vero retina eis afficitur, nec ita mouetur. His perpenſis experimenta apponuntur, quibus oſtenditur, quaenam partes ſentiant, ſimulque contrahantur. Ita cutis ſentit et contrahitur, nullus autem horum effectuum in celluloſa tela obſeruatur. Id pariter in peritonaeo euenit, meſenterium autem inteſtinorumque membrana externa contrahitur nec, ſentit. Hoc etiam in reliquis membranis, viſcera inueſtientibus, deprehenditur. De muſculorum irritatorum contractione diuerſos animaduertit effectus. Primo muſculos, voluntario motui ſubiectos, irritauit, inque his contractionem minus fortem obſeruauit. Diaphragma irritatum violenter ſe contrahit, iterumque laxum fit. Aſt tendines irritati, licet maxime ſenſibiles ſint, nullo tamen modo contrahuntur. Cor denique irritatum valde mouetur, et crebro pulſat. Ex his itaque, eas partes, quae notabilem in corpore motum praeſtant, irritatae ſi ſint, maxime moueri, concludit.

p. 422. 2) *Obſeruatio de foemina, per cuius umbilicum extractus fuit foetus mortuus, quem viginti ſeptem menſes in ventre geſſit, quaeque denuo concepit, et iuſto tempore, quatuor menſibus ante prioris extractionem elapſis, naturalem partum edidit.* Auctore Cl. BOCHARD. Septimo nimirum grauiditatis menſe foemina quaedam ab alto cadit, hincque foetum mortuum eſſe, ſtatim ſentit. Sed nihil prodit, et quinque menſibus ab eo tempore elapſis ſanguis una cum crinibus profluit, venter autem, qui ad iſtud tempus uſque tumidus apparuit, ſubito detumeſcit. Poſt aliquot menſes grauidam ſe iterum ſentit, et nouem menſibus elapſis ſanum denique foetum edit. Tribus tunc menſibus elapſis, tumor circa umbilicum oboritur, qui in ſuppurationem abit. Tunc una cum pure parua quaedam oſſa exeunt, quibus viſis et apertura hinc dilatata oſſa capitis nuda atque poſt haec reliqua totius foetus oſſa absque cute nec ulla carne tecta extrahuntur. Abſceſſu hoc rite tractato foeminam in integrum reſtitutam fuiſſe, legimus.

p. 426. 3) *Litterae, quas de hemeralopia ad Editorem huius diarii dedit* Cl. POMME, *filius.*

p. 427. 4) *Litterae, quas de caſu quodam ſingulari ad Editorem huius diarii dedit* Cl. MAIAVLT. Foemina nimirum, dira colica cruciata, octauo morbi die, poſtquam intra hoc tempus continuo materiem ſtercorariam euomuit, aliquam tandem inteſtinorum portionem per aluum depoſuit. Hanc coecum et pars coli una cum meſenterii portione conſtituit. Die morbi duodecimo foetum mortuum enixa decimo quarto tandem obiit. Corpore aperto voluulum totumque abdomen materia foetida refertum repererunt.

p. 431. 5) *Obſeruatio de vomitu habituali a pilori obſtructione orto.* Auctore Cl. RAZOVX. Praeter pylorum obſtructum in cadauere inteſtinorum tenuium diametrum, ultra dimidium, coarctatam, lienem valde

valde paruum, flaccidum et exſiccatum uti et pancreas, hepar autem ſat magnum et ventriculo adhaerens repererunt.

6) *Litterae, quas de uſu mercurii camphorati in luis venereae curatione ad Editorem huius diarii* dedit Cl. RAISIN. Decem nimirum uncias mercurii cum camphora ſenſim exhibuit venereo, huncque in integrum absque ſaliuatione reſtituit. p. 434.

4) *Anonymi de motu muſculorum tentamen.* Cum ad modum breuis fuerit Cl. Auctor, hinc nobis, breuioribus, absque iactura ſummam tradere non licuit. Attamen, mechaniſmum ex directione vaſorum ſanguiferorum, quam cum fibris muſcularibus habent, parallela neruorumque pariter, vaſa haec circumcingentium progreſſu declaratum eſſe, notamus. p. 436.

8) *Obſeruatio de ulcere mammae hominis cuiusdam cancroſo, ab agyrta curato, huiusque curationis effectubus funeſtis.* Auctore Cl. HAZON. Cancro nimirum per remedium quoddam, ut Noſter putat, ſtypticum fere curato, aegrotans ſtatim tuſſi ſicca et aſthmate vexatur. Malo tandem de die in diem aucto aeger obiit. Pectore aperto, eo in latere, ubi cancer fuit, pulmonis lobum marcidum et ſuppuratum, magnamque de reliquo quantitatem aquae in totius pectoris cauo obſeruarunt. p. 444.

9) *Nouae obſeruationes chemicae et practicae de ſale eſſentiali lactis.* Auctore Cl. VULLYAMOZ.* p. 446.

10) *Obſeruatio, de foetu in infimo ventre, praeeunte uteri ruptura, reperto.* Auctore Cl. CRANTZ. Hic tantum notamus, rupturam hanc pugni magnitudinem vix exceſſiſſe, atque foetum mortuum iamque ſemicorruptum fuiſſe. p. 458.

11) *Commemoratio caſus valde triſtis, in loco, S. Ouen dicto, obſeruati.* Auctore Cl. FAVR. Fouea nimirum, ſtercori conſumendo deſtinata, aperta ſex p. 468.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. III. p. 469.

homines, a vapore exeunte, humi proſternuntur mortui, ex quibus autem quinque, omni adhibita cura, vitam recuperarunt.

p. 471. 12) *Deſcriptio morbillorum, qui in vico, Geisling dicto, a menſe Ianuario ad Iunium uſque* 1751 *epidemice regnarunt.* Auctore Cl. RAV. Praeter ſymptomata, alias morbilloſis conſueta, notandum eſt, quod infantes iis tantum laborauerint, non nullique eorum delirarint, alii purpuram ſimul habuerint, in omnibus febris irregularis obſeruata fuerit.

Tranſeamus ad ſextum Tomum. Hic non nullas
p. 5. deprehendimus mutationes. Cum prioribus quidem maximam partem iſte conuenit; aſt, quantum ex iis, quae Cl. Editor praefixit, videre licet, tempeſtatum etiam viciſſitudines, ſingulo menſe annotatas, morborumque inſimul, quouis pariter menſe regnantium, catalogum appoſuerunt. Variae praeterea de irritabilitate hic reperiuntur obſeruationes, idque quidem eam ob rationem, cum argumentum hoc, ob utilitatem, in medicina et chirurgia aliquando expectandam, dignum omnino exiſtimetur. Quid? quod tam diu huius argumenti adponendas eſſe cenſet obſeruationes, donec vel nullum dubium reſtare, vel ad minimum diu multumque de eo diſputatum eſſe videatur.

In *menſe Ianuario* 1757 occurrit:

p. 7. 1) *Finis experimentorum de irritabilitate.* Auctore Cl. LORRY. Corde examinato reliqua pectoris contenta examini ſubiecit. Itaque primo vaſa diſquiſiuit. Aorta et vena caua, ſpiritu nitri tactae ſe contrahunt, haec tamen paulo debilius quam illa. Pleura inciſa notabiliter diſcedit, chemicis autem liquoribus tacta parum contrahitur, aſt multo magis ſubiacentes muſculi intercoſtales et mediaſtinum ſe contrahunt. Nerui irritati motus in muſculis et partibus,

ad

ad quas abeunt, excitant; imo, diſciſſi nerui pars ſuperior irritata ſalit ſeque retrahit, quod tamen in integris neruis non obſeruatur. In uniuerſum contractio variat, prout partium magnitudo et extenſio ſe habet, eaque ſemel in partibus obſeruata ſemper conſtans eſt, atque pars, ob irritationem contracta tum in mortuo tum in viuente animali diu ita manet. Ex cunctis his, quae, experimenta inſtituenti, obuenerunt, phaenomenis, ſenſum et motum a ſe inuicem diſtinguendum eſſe, inque partibus irritabilitatem absque eo, ut a ſenſu ea dependeat, fieri, generatim Noſter concludit, ſenſibilitatis vero cauſam in ſolis neruis quaerendam eſſe, ſtatuit.

2) *Obſeruatio de homine quodam fulmine tacto.* Auctore Cl. HENRY. Arbore nimirum, fulmine tacta totaque hinc in carbonem mutata, iſtud tandem hominem etiam, ſub hac arbore dormientem et ebrium tangit, atque quidem intra ſcapulas intrat, ſub induſio ſecundum dorſi lumborumue longitudinem atque ad nates, femora et crura progreditur, et ad talum tandem exit. Praeter pilos et epidermidem, nihil nec in corpore nec in veſtitu laeſum ultra fuit, exceptis calceis, qui ab homine remoti ſemi aduſti et dilacerati apparuerunt. Hoc facto, delirus in campo ſe voluens reperitur, inde in domum quandam reductus, venae ſectione bis adhibita, ad ſe rediit. Praeter exquiſitos dolores in locis, a fulmine tactis, ſentitos, de nulla alia re conqueſtus eſt, et quindecim poſthac diebus elapſis ab iis liberatus in integrum reſtitutus fuit. p. 19.

3) *Epiſtola, quam de morbo quodam ſingularibus ſymptomatibus ſtipato deque humectantium efficacia in morbis hyſtericis ad Editorem huius diarii dedit.* Cl. POMME, *filius.* p. 22.

4) *Obſeruatio de febre puerperarum miliari.* Auctore Cl. BONTE. His, quae de hac febre diſſeruit Noſter, primo huic morbo puerperas, atque eas p. 29.

quidem, quibus catamenia aut parce fluunt, aut penitus deficiunt, obnoxias esse ostendit. Deinde eundem hunc morbum plus una vice, idque breui temporis spatio, aggredi foeminas, enarrat. Tandem symptomata maxime variare hasque febres ipsas valde periculosas esse, notat. Quod ad caussam proximam spectat, hanc in vitiata lympha consistere asserit, quam autem ex variis causis corrumpi possit, ostendit. In curanda demum hac febre remedia ad indicationes adhibuit, a calidis autem volatilibus et alexipharmacis abstinuit.

p. 45. 5) *Descriptio infantis tribus pedibus nati.* Auctore Cl. LIESCHING.*

p. 48. 6) *De unione partium intestini post operationem herniae gangraenosae.* Auctore Cl. LAPEGRE. Hanc rem duabus obseruationibus illustrat. Duo nimirum homines incarcerata laborarunt hernia, ita, ut gangraena accedente et intestini ilei et omenti portio, imo et testiculus alter in corruptionem plane abierint. Incisione igitur facta copia faecum aluinarum exiit; vulnere autem posthac mundato, et rite de reliquo tractato, utrumque intestini extremum perfecte coaluit, atque ambo isti aegrotantes conualuerunt, ita tamen, ut prior absque ullo incommodo relicto fanus vixerit, alter autem mensibus aliquot a restitutione elapsis, dira colica circa regionem, ubi intestinorum unio facta fuit, vexatus, materiem stercoraceam euomens, denuo operationi chirurgicae commissus fuerit. Cunctis vero rite tractatis, tempore aliquo elapso, tandem quoque in integrum restitutus absque ullo incommodo vitam posthac degit.

p. 57. 7) *Aethiopem martialem breui tempore praeparandi methodus.* Auctore Cl. MAIAVLT. Haec praeparatio differt ab ea, quae Cl. LEMERY in usu fuit. De illa igitur, ceu noua, sequentia notamus. Vitriolum martis aqua soluitur, et si aliqua forte cupri pars

* vid. Comment. nostr. Vol. V. P. III. p. 488.

pars vitriolo simul admixta sit, isthaec addita lamina ferri praecipitatur. Solutio dein oleo tartari per deliquium praecipitatur et filtratur, postmodum aqua calida aliquoties per filtrum traiicitur, quo omnis tartarus vitriolatus, sub operatione natus eluatur, puraque ferri calx, tandem exsiccanda, remaneat. Cum vero eadem phlogisto sit destituta, haec igitur in cochleare ferreum inditur, et cum oliuarum oleo miscetur, quod super eam, igne suppositio deflagratur et aliquoties repetitur. Quo facto puluerem nigrum Noster obtinuit, qui omnes martis proprietates habere eosdemque effectus praestare dicitur.

8) *Obseruationes de non nullis morbis epidemicis anno* 1748 *in Prouincia, Prouence, regnantibus.* Auctore Cl. DARLVE. Aeris tempestatumque vicissitudine locique pariter situ et vitae genere prius descripto febris tandem eiusque indolis mentionem fecit Cl. Auctor. Paucis itaque notamus, febrem hanc, epidemice ibi regnantem, putridam fuisse, ita tamen, ut ii, qui ea laborarunt, omnes fere insignem insimul vermium copiam vomitu reiecerint. Febris huius caussam in humida et calida nec non nebulosa aeris temperie, mensibus praegressis obseruata, ponit, vermium vero generationem in victu farinaceo, hincque oriundo viscido, nec non fructuum nondum satis maturorum esu quaerit. Notandum denique et est, mercurium, ob vermes ab aliquibus exhibitum, insigniter nocuisse, ita, ut qui eum usurparunt, breui post assumtionem conuulsionibus haud exiguis correpti vix euaserint. p. 64.

9) *Obseruationes Meteorologicae Parisiis anno* 1756 *annotatae.* Hae ad mensem Nouembrem dicti anni pertinent, atque quod hic factum fuit, quouis mense nunc obseruatum fuisse notamus. p. 76.

10) *Morbi qui mense Nouembri* 1756 *Parisiis regnarunt.* Febres, quas tunc temporis obseruarunt, putridae quidem et intermittentes tum simplices tum dupli- p. 80.

duplicatae, atque hinc inde quartanae fuerunt, in tamen, ut ad epidemicos morbos minime referri potuerint.

In *menſe Februario* 1757 exſtant.

p. 83. 1) *Obſeruationes de morbo nigro.* Auctore Cl. VARNIER. Qui hoc laborant, debiles viribusque fractos contabeſcere, et materiem nigram, odoris cadaueroſi, per aluum euacuare Cl. Auctor notat, et morbi huius cauſſam haemorrhagiam internam eſſe, ſtatuit. Ex hac autem omnia, quae obueniunt, phaenomena deducit, et ex ſanguine in primis, in inteſtinis corrupto, neruorum hinc et cerebri turbationem, imbecillitatem et lipothymiam oriri, autumat, pulſum vero paruum nec adeo febrilem eſſe, perhibet. His praemiſſis characteres ſimul tradit, quibus morbus iſte a dyſenteria, haemorrhoidibus, fluxu hepatico maloque hypochondriaco diſcernitur. Ad curationem denique, quod ſpectat, hanc, ob alcaleſcentem humorum ſtatum a Noſtro aſſignatum, acidis in primis abſoluendam eſſe, experientia confirmatus probat.

p. 96. 2) *Obſeruatio de vermibus ex ruſticae foeminae inguine egreſſis.* Auctore Cl. LE BEAV, *filio.*

p. 98. 3) *Litterae, quas de febre quadam ſingularis indolis ad* Cl. SVCHE *dedit* Cl. SVMEIRE. Febris, cuius mentionem hic facit, bisque obſeruauit Cl. Auctor, eadem fuit, quam Cl. HVXHAM annotauit, quamue hic febrem lenteſcentem neruoſam appellauit.

p. 107. 4) *Obſeruatio de fruſtis oſſium ex urethra egreſſorum.* Auctore Cl. GONTARD. Haec oſſium fragmenta auiculae oſſa repraeſentarunt, et quantum ex his coniicere licet, ductus quidam ſinuoſus ex urethra ad inteſtinum abiit, per quem non ſolum oſſa ſed et interdum alia corpora imo ipſa faecum materies cum urina mixta exierunt.

5) Com-

5) *Commentatio de aquis thermalibus balnei Lotharingici, quoad effectus cum aquis thermalibus Plomberianis in eadem Prouincia comparatis.* Auctore Cl. MORAND. Hae aquae, opinante Noſtro, maximam partem inter ſe conueniunt, excepto eo, quod aquae prioris balnei laxante virtute praeditae Plomberianis minus efficaciores ſint. Hinc eas, in pectoris morbis, illis anteponit; cumque ſanguinem non adeo rarefaciant ſed leniſſimam tantum diaphoreſin excitent, eas hinc in vaga etiam arthritide, rheumatiſmis etc. laudat. p. 114.

6) *Obſeruationes de liquore, l'Eau de Luce dicto.* Auctore Cl. DE LA RIVIERE. Quam Cl. MACHY et Cl. BETBEDER in praeparando iſto liquore adhibuerunt methodum, eam ingenioſam quidem et chemicis principiis minus contrariam, aſt inuentoris methodo non conſentaneam eſſe, Noſter aſſerit. Inuentorem enim non niſi de ſapone conficiundo cogitaſſe, dicit. Inde Noſter alium praeparandi modum communicat, quem verum et genuinum exiſtimat. Alcali nimirum fixum et oleum ſuccini rectificatum ſumit, haecque cum ſpiritu vini in mortario vitreo miſcet, poſthac miſcelam hanc vaſi vitreo cylindrico indit, et in balneo cinerum digerit. Quo facto omnia haec ſenſim uniuntur et ſapo in ſpiritu vini ſolutus oritur. Huius aliquot guttas cum ſpiritu ſalis Ammoniaci, cum calce viua parato, miſcet, ſeque hinc liquorem iſtum memoratum obtinuiſſe, autumat. p. 122.

7) *Obſeruatio de foetu quodam male conformato.* Auctore Cl. BOVSQVET. Ani nimirum orificium in conſueto loco non deprehendit, ſed recti inteſtini extremum ad vaginae latus collocatum, duoque inſimul orificia, pro ureterum extremis habita, vidit. Corpore poſt mortem aperto, inter alia, quae male conformata fuerunt, notamus, nullam adfuiſſe veſicam nullumque pariter uterum, atque rectum inteſtinum p. 128.

teſtinum in vaginam ita inſertum fuiſſe, ut per hanc meconium exire potuerit.

p. 130. 8) *Commentatio de amputationis in morbis pedis ad malleolos ſuſcipiendae utilitate, deque nouae inuentionis ocrea.* Auctore Cl. RAVATON. Vt ii, quibus pes extremus amputatur absque deformitate commoda et ſanis ſimiles incedere poſſint, ocream ea propter excogitauit, quam hic deſcripſit et commendat.

p. 139. 9) *Obſeruatio de hydrophobia poſt caſum cum commotione.* Auctore Cl. TRECOVRT.

p. 142. 10) *Breuis relatio de morbis notatu dignis anno 1754 et 1755. Helmſtadii obſeruatis.* Auctore Cl. CONRADO FABRICIO. Tempeſtatem nimirum anno 1754 valde variantem et pluuioſam febres intermittentes, continuae bilioſae et purpurae ſecutae ſunt, quas autem minime contagioſas Noſter appellat. Anni ſubſequentis hyeme accedente morbillos malae indolis, multis tum adultis tum infantibus lethales, eodemque tempore pleuritides peripneumonias et catarrhos obſeruarunt.

p. 147. 11) *Summa obſeruationum et remediorum.* Hic de rebus praecipuis obſeruationum quarundam, quas ad Editorem huius diarii non nulli miſerunt, mentio facta eſt. Cum autem omnia breuiſſimis indicata ſint, plurium inſcriptiones tantum addidiſſe, ſufficiet. Deprehenditur itaque

Obſeruatio de abſtinentia ſexaginta nouem dierum quam mors excepit. Auctore Cl. GERARD.

p. 148. *Obſeruatio, de paralyſi, ope febris putridae, curata.* Auctore Cl. HERMANN.

p. 149. *Obſeruatio de mercurio camphorato.* Auctore Cl. CORDET.

Obſeruatio de inſigni tumore in dextro cuiusdam foeminae ouario. Auctore Cl. GVILBERT.

p. 150. *Obſeruatio de uſu orobi ſylueſtris in rheumatiſmo podagrico.*

Reme-

Remedium contra rabiem praesentissimum, per tri- p. 151.
ginta annos in quingentis aut sexcentis hominibus, a rabidis animalibus, demorsis comprobatum. Auctore Cl. IOYANT. Constat istud ex ulmaria, polypodio querceino, centaurio minori, absynthio, hyperico, plantagine, ruta, betonica, artemisia, melissa, saluia, verbena, mentha et ostrearum conchis calcinatis. Herbae, dum florent, decerptae inque umbra siccatae in puluerem rediguntur, omnesque portione aequali miscentur, quibus triplum concharum additur, miscetur et ad usum reconditur. Huius puluueris aliquam portionem cum vino mixtam, interne et externe propinatam et homines et animalia demorsa ab omnibus malis liberasse, legimus.

12) *Obseruationes meteorologicae mense Decembri* p. 156.
1756 annotatae.

13) *Morbi, qui eodem mense Parisiis regnarunt.* Praeter coryzam et catarrhos, dysenterias etiam, peripneumonias nothas et anginas gangraenosas, in non nullis ope vaporis alcalini volatilis attracti, curatas obseruarunt.

In *mense Martio* 1757 occurrit:

1) *Historia puellae, cui intra decem aut duodecim* p. 163.
annos ex omnibus corporis partibus extraxerunt acus. Auctore Cl. BOVCHER. Historia descripta, in mirandae huius rei causam inquisiuit Noster; ast nullam reperiens, atque dubia, tamen, num forte fraus quaedam subesse potuerit, caute remouens, in sola tantum huius rei admiratione subsistendum esse, arbitratur.

2) *Obseruatio de vomitu habituali, quem mors se-* p. 174.
cuta est. Auctore Cl. BERNARD. Remediis incassum tentatis periit tandem foemina, per aliquot tempus ita cruciata. Corpore aperto pylorum crassum, induratum et coarctatum reperit, idque pariter in duodeno obseruauit. Huius autem atque ventriculi etiam,

etiam, pylorum verſus, membranae admodum craſſae fuerunt, atque ita concreuere, ut cutem bonis aequantes nullo modo a ſe inuicem diſtingui et ſeparari potuerint.

p. 178. 3) *De mirandis corticis peruuiani effectibus in gangraena.* Auctore Cl. MARCHANT. Hos duabus obſeruationibus confirmat. In foemina enim, cuius partes genitales, ob laborioſum partum, gangraena deſtructae fuerunt, cortice hinc largiter uſurpato corruptionis progreſſus non ſolum impeditus fuit, ſed et partes ipſae in integrum reſtitutae ſunt, excepta veſica, quae ob ſphincterem, forte deſtructum, urinam inuoluntarie emiſit. Altera obſeruatio ad iuuenem ſpectat, cui brachium a molendini rota fractum et ita deſtructum fuit, ut ſphacelus ſtatim accedens ad axillam uſque ſe extenderit. Cortice largiter propinato ſphaceli progreſſus cohibitus fuit, brachioque poſthac amputato aegrotans dein euaſit.

p. 187. 4) *Carcinomatis mammae curatio ope infuſi foliorum belladonae.* Auctore Cl. LAMBERGEN.*

p. 193. 5) *Obſeruationes practicae de cortice peruuiano.* Auctore Cl. VANDERMONDE, *diarii huius Editore.* His corticis huius uſus probatur inque morbis, in primis periodicis, hoc eſt, qui, ut febres intermittentes, certo tempore recurrunt, laudatur. Conſiderate tamen eum exhibendum et ad morbi indolem ipſiusque aegrotantis conſtitutionem attendendum eſſe, monet. Saepe enim corticem aliis proficuum, aliis contra noxium euadere variis exemplis probat.

p. 203. 6) *Noua analyſis chemica aquae martialis Helmſtadienſis.* Auctore Cl. CONRADO FABRICIO.**

p. 212. 7) *Obſeruatio de lamina oſſea in pectore reperta.* Auctore Cl. PEQVEVLT. Corpore nimirum phthiſici cuiusdam aperto, ſubſtantiam hanc oſſeam coſtis ſuper

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 261.

** vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. I. p. 19.

ſuperimpoſitam atque in et externe membrana inueſtitam et ope celluloſi contextus coſtis iunctam reperit.

8) *Obſeruatio de homine, qui per virile membrum pus, materiem faeculentam et flatus emiſit.* Auctore Cl. DONADIEV. p. 214.

9) *Extractio calculi veſiculae fellis ſingulari operatione facta a* Cl. CIVADIER. Vlcere fiſtuloſo in regione veſiculae reperto calculoque per hanc viam, ſpecilli ope, detecto, ſinuoſam hanc viam dilatarunt calculumque extraxerunt. Aegrotans poſthac optime conualuit. p. 216.

10) *Obſeruatio de ſingulari perioſtei exfoliatione.* Auctore Cl. GAVDET. p. 220.

11) *Litterae, quas de morbo populari in noſodochio militari aliisque in Prouincia, Prouence, regnarunt, ad Editorem huius diarii* dedit Cl. BERTHONYE. p. 223.

12) *Summa obſeruationum et remediorum.* Hic deprehenditur p. 229.

Obſeruatio de uſu agarici quercini interno. Auctore Cl. BRILLOVET. Exhibuit nimirum cum decocto Simaroubae agaricum homini, dyſenteria laboranti, huncque reſtitutum plane fuiſſe, refert.

Obſeruatio de cane, pſittaco ſimili, deque puella circopithecum aequante. Auctore Cl. MARECHAL, *filio.* p. 231.

Compoſitio cerei, inſignis in urethrae morbis, utilitatis. p. 232.

Remedium contra rabiem. Hoc ex conchis oſtrearum calcinatis cumque vino mixtis conſiſtit. p. 233.

Vires ſucci foliorum fraxini aduerſus morſum viperae. Hic ſuccus multiplici experientia probatus commendatur.

13) *Obſeruationes meteorologicae menſe Ianuario 1757. annotatae.* p. 235.

p. 240. 14) *Morbi, qui eodem menſe Pariſiis regnarunt.* Colicam nimirum, epidemicam fere, et ſub finem menſis malae indolis variolas obſeruarunt.

In *menſe Aprili* 1757. occurrit:

p. 243. 1) *Hiſtoria puellae, quae absque pedum et manuum miniſterio, ſolo ventre, ſonitum tympani militaris, ſimulque talem, quem fabri ferrarii, ferrum cudentes, excitant, imitatione expreſſit.* Auctore Cl. THEBESIO.* Licet iſta foemina morboſum ſtatum ſimulaſſe videatur, hanc tamen actionem, praeter naturam, minime absque voluntate iſtius, ſed lucri tantum cauſſa, excitatam eſſe, Noſter perſuaſus eſt.

p. 249. 2) De *mucilaginoſorum utilitate in non nullis morbis oeſophagi, ventriculi, inteſtinorum et tracheae* quaedam appoſuit Cl. MAIAVLT. Laudat nimirum iſthaec remedia in illis morbis, ubi naturalis iſte mucus deſtructus eſt, eaque, pro re nata cum abſorbentibus, oleis, nitro et tonicis iuncta optime mucum iſtum ſupplere, autumat; hincque iis, qui acida mineralia aut aliud acre, mucum iſtum deſtruens, deuorarunt, iisque etiam, qui dyſenteria laborant, optime conuenire, expertus confirmat.

p. 257. 3) *Analyſis aquarum mineralium noſodochii de Caen.* Auctore Cl. MORLET. Experimentis his inſtitutis, aquas has ad martialium claſſem referendas eſſe, autumat. Hisce nimirum vitriolum martis in parua quantitate, praeterque hoc ſalem quendam ſelenitticum, ex vitriolico nimirum acido et terra calcaria compoſitum, terram porro abſorbentem ſubtilem, tandemque ſalem marinum in exigua quantitate, aliquamue ſalis Glauberiani portionem ſimul ineſſe, perhibet. Has aquas absque iactura virium e loco tranſuehi non poſſe, idem refert.

4) *Obſer-*

* vid. Acta Phyſico-Medica. Acad. Natur. Curioſ. Vol. X. Obſ. 88. p. 337.

4) *Obſeruatio de foemina quadam duplici utero praedita.* Auctore Cl. SANYER DV LAC, *filio.* p. 278.
Vnus nimirum alterum in ſe recondidit. Foemina, in qua ſingulare iſtud obſeruatum fuit, quinquies foetus enixa eſt, et tunc temporis adhuc vixit. Obſeruatio dubia ſolo attactu vix definienda.

5) *Obſeruatio de regeneratione urethrae, gangraena, ab interna cauſſa orta, plane deſtructae.* Auctore Cl. LAPEYRE. p. 281.

6) *Hiſtoria empyematis purulenti, exfoliatione partis coſtarum verarum facta, curati.* Auctore Cl. CACKSTRYCK. Notamus hic, hominem quendam ex pleuritide empyicum fuiſſe, factaque paracenteſi pureque hinc una cum aere euacuato, poſtea reſtitutum. Notatu etiam dignum eſt, hunc ipſum antea iam aliquoties ſimili morbo laboraſſe, facta inciſura a pure liberatum. p. 287.

7) *Obſeruatio ſingularis de foemina quadam, quae foetum per anum excluſit.* Auctore Cl. GVILLERME. Grauida nimirum ab alto cecidit, menſibusque aliquot abhinc elapſis diarrhoea putrida correpta ſingulas foetus partes per anum reddidit. Licet autem ſumme emaciata et morti proxima fuerit, ſenſim tamen ſenſimque reſtituta perfecte conualuit. p. 292.

8) *Obſeruatio de abſceſſu quodam femoris, quo aperto, acicula, pollicis duarumue linearum longitudine, inque apice incruſtata exiit.* Auctore Cl. DVRAND. p. 296.

9) *Summa obſeruationum et remediorum.* Hic deprehenditur, p. 300.

Obſeruatio de quatuor ductibus urinariis. Auctore Cl. DEVILLIERS. In utroque nimirum latere hominis cuiusdam duos ureteres vidit.

Obſeruatio, de vermibus ſanguineis. Auctore Cl. BARATTE. Dum vena ſecabatur, una cum ſanguine vermem, pollicis longitudine, rubrum exiiſſe, perhibet.

p. 301. *Obſeruatio, de morte ſubitanea a vaſculo rupto.* Auctore Cl. HENRY.

p. 304. *Obſeruatio, de ſene nonaginta ſex annorum mire ſalaci.* Auctore Cl. BEHR.*

p. 305. *Effectus olei nucis vinique alicantici contra vermem ſolitarium.* Auctore Cl. PASSERAT DE LA CHAPELLE. Quinque nimirum uncias olei nucis ventriculo ieiuno propinauit, duabusque horis cum dimidio elapſis quatuor uncias dicti vini ſuperbibi iuſſit. Remedio hoc per aliquot dies continuato taeniam per partes exiiſſe, exemplis probat.

p. 307. *Remedium, dolores podagrae vehementes absque ulla noxa, ſedans et imminuens.* Auctore Cl. FYYN. Id in radicum quarundam decocto et balſamo conſiſtit. Prius ex Polypod. Hermodact. Bardan. Saſſaparill. ana unciis quatuor; Raſ. Lign. Sanct. unciis duabus; Aquae libris nouem tribusque vini albi, coquendo paratur. Hocce decoctum, pro potu ordinario eiusmodi aegrotantibus exhibendum, laudatos effectus praeſtitiſſe, perhibet. Balſamum vero ita paratur: Sumuntur Therebinth. unciae tres; Sal. Tartar. uncia una et ſemis; Sapon. Venet. unciae duae; Aqu. Pluu. libra una et ſemis. Haec probe ſenſim mixta vitro induntur et Spir. Matric. vel Iuniper. unciae duae adduntur. Hunc balſamum membris exterius affricandum, optime in rheumatiſmis, luxationibus et contuſionibus conuenire, experientia confirmare putat.

p. 310. 10) *Epitome Theſeos, quam in ſcholis medicorum Pariſiis d. 27. Ianuar. 1757. ſub Praeſidio* Cl. DE S. LEGER defendit Cl. GIRARD DE VILLARS. Quaeſtionem nimirum, *num Irritabilitas pariter ac ſenſibilitas a neruis dependeat*, affirmatiue reſoluit.

p. 316. 11) *Obſeruationes meteorologicae, menſe Februario, 1757.* annotatae.

12) *Morbi*

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. IV. p. 693.

12) *Morbi, qui Pariſiis eodem menſe regnarunt.* p. 320.
Praeter colicam bilioſam praecedenti menſe annotatam, hocque ſenſim euaneſcentem, faucium in primis morbos, deglutitionem difficilem et catarrhales fluxiones obſeruarunt. Reliqui enim morbi in ſingulis tantum aegrotantibus apparuerunt.

In *menſe Majo* 1757. deprehenduntur:

1) *Meditationes de gangraena externa deque generatione vermium in febribus putridis malignis.* Auctore Cl. BOVCHER. p. 323.

2) *Obſeruatio de morbo nigro ſingularis ſpeciei.* Auctore Cl. VANDERMONDE *diarii huius Editore.* p. 336.
Accerſitus nimirum ad puellam ſex annorum, febre, maculis liuidis viriumque imbecillitate decumbentem, nigrasque ibi et foetidiſſimas alui deiectiones reperiens, morbum hunc ſic dictum nigrum, ſed ſingularis ſpeciei, eſſe, iudicauit. Haec cogitans eadem etiam remedia, in eiusmodi morbis adhibenda, diluentia nimirum, acida, antiſcorbutica atque purgantia propinauit. Quo facto omnia bene ceſſiſſe, perhibet.

3) *Obſeruatio de ſingulari quodam pedis ſphacelo.* Auctore Cl. RICHARD DVPLESSIS. p. 341.
Hic ſaltem notamus, infimum pedem ab interna cauſſa ſphacelo correptum, remediisque incaſſum adhibitis intra tres menſes ita exſuccum et atrum euaſiſſe, ut quaſi ſolis ardore exſiccatus atque aduſtus apparuerit. Dum literis haec mandata ſunt, inter ſanam et corruptam partem manifeſtare ſe coepit ſeparatio.

4) *Deſcriptio monſtri Cyclopis, nati Berolini die decimo nono Februarii anno* 1755. Auctore Cl. ELLER.* p. 347.

5) *Obſeruationes criticae in chemiae Lemerianae editionem nouam Pariſiis a I. T. Heriſſant* 1756. *promulgatam.* Auctore Cl. IVLLIOT. p. 360.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. II. p. 338.

p. 371. 6) *Obſeruatio de hernia quadam inguinali.* Auctore Cl. BARATTE. Notabile hic fuit, quod, licet aliqua ilei et peritonaei pars gangraena corrupta fuerit, faecesque per vulnus iam exierint, in integrum tamen reſtituta fuerit aegra. Vnde igitur herniarum gangraenam non ſemper mortem ſequi, iſthac obſeruatione Noſter confirmare putat.

p. 375. 7) *Obſeruatio de carie in oſſe frontis.* Auctore Cl. GVINOT.

p. 377. 8) *Obſeruatio de abſceſſu in interna hepatis ſuperficie formato.* Auctore Cl. DVRAND.

p. 380. 9) *Deſcriptio dyſenteriae epidemicae ad finem anni* 1756. *Fougeres*, in Britannia, Bretagne, *et circa eum locum regnantis.* Auctore Cl. LE NICOLAIS DV SAVLSAY. Notatu dignum hic fuit, quod huius dyſenteriae cauſſam praecipuam in ſignis vermium tum lumbricorum tum aſcaridum copia conſtituerit, praecipuaque inde ſymptomata dependerint. Propinatis igitur hanc ob cauſſam remediis ſic dictis anthelminticis, purgantibus iunctis, cuncta melius ceſſiſſe legimus.

p. 389. 10) *Epitome obſeruationum et remediorum.* Hic occurrit:

Sectio hominis, ſpina ventoſa, mortui. Auctore Cl. PERRAVLT.

p. 390. *Obſeruatio de foemina ruſtica, cui exſectus fuit uterus.* Auctore Cl. CAILLE. Vtero nimirum prolapſo, omnemque repoſitionem reſpuente, hinc reſecto, paucus admodum ſanguis effluxit, vulnereque rite tractato foemina tandem euaſit.

p. 392. *Obſeruatio de puella, cui vena millies vicies ſecta fuit.* Auctore Cl. BRILLOVET.

p. 393. *Litterae, quas de modo, liquorem l'Eeau de Luce absque intermedio praeparandi ad* Cl. BOYER dedit Cl. BETBEDER. His contra Cl. DE LA RIVIERE continentur vindiciae methodi, a Noſtro in praeparando iſto liquore uſitatae.

11) *Ob-*

11) *Obſeruationes Meteorologicae menſe Martio* 1757. annotatae. p. 396.

12) *Morbi, qui eodem menſe Pariſiis regnarunt,* fuere catarrhi in primis autem pleuroperipneumoniae. Praeter hos morbos et variolas et febres putridas et anginas oedematoſas nec non inflammatorias obſeruarunt. p. 400.

In *menſe Iunio* 1757. occurrunt:

1) *Meditationes de differentibus phaenomenis, quae variolarum inſitionem, in iuuene, inclyto genere Lugduni Batauorum nato, ſuſceptam, comitata ſunt.* Auctore Cl. GAVBIO. Ex his notamus, iuuenem, in quo variolarum inſitionem ſuſcepit Noſter, febre ſecundaria correptum fuiſſe, quam tamen in variolis artificialibus nunquam obſeruari, non nulli tradunt. p. 403.

2) *Hiſtoria abortus ſingularis, quem breui poſt extraordinaria grauiditas ſecuta eſt.* Auctore Cl. DEYDIER. Foemina nimirum quarto poſt conceptionem menſe dolores ad partum ſentit, pauloque poſt abortum patitur. Quod primo tunc prodit, ſolidum corpus paruae nucis magnitudine eſt, idque paulo poſt aliud corpuſculum, locuſtae, ſi alas excipias, de reliquo ſimile ſequitur. Quinque ab hoc tempore menſibus elapſis, grauidam denuo ſe ſentit, tuncque abdominis mammarumque volumen ſenſim auctum apparet. Ad quarti menſis finem infantem ſe mouiſſe ipſa foemina refert. Sexto menſe abdomen inſigniter tumidum idemque deprehenditur, quod habent, quae puerperio proximae ſunt. Tunc etiam lac in mammis album ſatque craſſum reperitur, menſtruo interim fluxu nondum ceſſante. Tempore geſtationis elapſo nihil prodit, ſed lacte et menſtruo ſanguine nunc diſparentibus abdomen potius increſcit. Poſt menſem undecimum pedes intumeſcunt, infantis autem motus etiamnum percipitur. Decimo ſeptimo menſe elapſo totius fere corporis habitus p. 410.

intumeſcit; remediis autem exhibitis praeternaturalis iſte ſtatus ceſſat, excepto abdomine, quod inflatum perſtat. Tandem menſe decimo octauo multa adhibita opera mortuus infans capite inſigni excutitur, ipſa autem foemina moleſtiis his liberata euadit.

p. 422. 3) *Obſeruatio de homine craſſitiei extraordinariae per epiſpaſtica in primis curato.* Auctore Cl. PERFAVLT DE LA TOVR. Huius hominis abdomen ſex pedes craſſum apparuit, et epiſpaſticum, infimo pedi applicatum ex ſinapi et allio paratum fuit. Licet autem inſignis ſeri copia huius ope exierit, aliquid tamen et aliis remediis, in primis purgantibus, ſimul propinatis, ad imminuendam iſtam craſſitiem tribuendum eſſe, cenſemus.

p. 427. 4) *Noua analyſis aquarum mineralium loci, Greoux in Prouincia, Prouence;* Auctore Cl. DARLVC. Has aquas ex acido ſulphureo volatili, oleo tenui bituminoſo, multo ſale gemmae et nitroſo nec non ſubſtantia quadam ſelenitica compoſitas eſſe, experimentis Noſter probare ſtudet, easdemque vi diuretica, purgante, diluente, reſoluente, emolliente, diaphoretica et vulneraria pollere, aſſerit.

p. 437. 5) *Continuatio obſeruationum in nouam editionem chemiae Lemerianae, reuiſae correctae et auctae* a B^ee Auctore Cl. IVLLIOT.

p. 446. 6) *Obſeruatio de tumore teſticulorum, infantis trium annorum caput aequante radicitus curato.* Auctore Cl. CIVADIER.

p. 449. 7) *Obſeruatio de ſarcomate, quatuor librarum duarumue unciarum pondus aequante, in cancrum exulceratum degenerato et extirpato.* Auctore Cl. MAVGVE. Tumor hic ſub axilla ſiniſtra ortum duxit, et infra mammam progrediens a ſecunda coſta vera ad quintam uſque ſe extendit inque acumen deſiit. Hoc extirpato inſignis haemorrhagia, vix compeſcenda ſuperuenit,

peruenit, et aegrotans viribus exhauſtus fere periit, aſt omni adhibita opera tandem euaſit.

8) *Deſcriptio pleuro-peripneumoniae* in loco, *Au-male*, dicto, *et circa eum anno* 1756. *menſe Martio, Aprili, Octobri et Nouembri regnantis.* Auctore Cl. MARTEAV DE GRANDVILLIERS. p. 455.

9) *Summa obſeruationum et remediorum.* Hic deprehenditur, p. 465.

Obſeruatio de puella perfecte ſurda, quae, nihilo tamen minus cuncta intelligendi, medium inuenit. Auctore Cl. DE LA RVE. Quodſi nimirum literas, rerum notiones deſignantes, iſtius manubus, brachiis, fronti vel etiam dorſo impreſſerunt, cunctae illico ideae de iis, quae alii auribus excipiunt, ſubnatae ſunt.

Nouae aquae minerales detectae Paſſy apud Domnam de Calſabigi. p. 466.

10) *Obſeruationes meteorologicae menſe Aprili* 1757. annotatae. p. 468.

11) *Morbi, qui eodem menſe Pariſiis regnarunt,* vagi dolores corporis, rheumatiſmi, affectiones ſcorbuticae cum oedemate, variolae, anginae oedematoſae et inflammatoriae, febres putridae atque continuae bilioſae fuerunt. p. 472.

XII.

DOMINICI VANDELLII Philoſophi ac Medici Epiſtola de ſenſibilitate Pericranii, Perioſtei, Medullae, Durae Meningis, Corneae et Tendinum. 1756. 8. pl. 5. tab. aen. 1.

et

Eiusdem Epiſtola ſecunda et tertia de ſenſitiuitate Halleriana. Patauii, 1758. 8. pl. 5.

Epiſtolarum harum prima, quam ad patruelem ſimilis nominis Patauii exarauit Cl. Auctor, partes, in libelli inſcriptione memoratas, ſenſibiles eſſe aſſerit, atque experimentis, hanc ob cauſſam inſtitutis, probare putat. Vt autem tentamina melius attendi queant, tria igitur momenta prius praemittit. Primo, totum corpus neruis contextum eſſe, ſtatuit, ita tamen, ut et ſpatia inter eos remaneant, quae neruis carent, hineque inſenſibilia exiſtunt. Secundo homines, dolores ſaepe ferre absque ullo doloris indicio oſtendit et exemplo illuſtrat. Tertio tandem innuit, ab inſenſibilitate aliquoties obſeruata non concludendum eſſe, quod res ita naturaliter ſe habeat. His ergo praemonitis experimenta nunc appoſuit, quibus primo cutem, quae Ill. HALLERO ſenſibilis eſt, inſenſibilem eſſe demonſtrat, poſtmodum pericranii, perioſtei, medullae oſſium, durae matris, tunicae corneae et tendinum ſenſibilitatem multis experimentis et obſeruationibus tum ſui ipſius, tum aliorum probare ſtudet. Aſt, tendinum in primis ſenſum ex neruorum ingreſſu demonſtrat. Vere autem tendines neruis inſtructos eſſe, ipſe non ſolum obſeruauit, ſed et alios, qui ingreſſus neruorum in tendines commemorarunt, adducit, ſimulque iconem, qua nerui ad Achillis tendinem tendentes delineantur adiecit.

Epiſtola

Epiſtola ſecunda, quam ad eundem Virum dedit Cl. Auctor, partium quarundam, quibus ab Ill. HALLERO ſenſus denegatus fuit, ſenſibilitatem demonſtrare, anniſus eſt. Vt autem rite omnia intelligantur, quinque iterum momenta praemittit. Primo nimirum cerebrum, utpote maius in hominibus quam brutis, maiori etiam copia neruos ad partes demittere, autumat. Secundo hominum animam, ad alia ſaepe intentam, laeſiones partium, exquiſite ſenſibilium, parum aut nihil ſentire, putat, hancque rem exemplis illuſtrat. Tertio cum Cl. ZINNIO telam celluloſam in brutis maiori copia adeſſe quam in hominibus, hinc illis ſenſum obtuſiorem quam his eſſe, ſtatuit. Quarto partes debito tono deſtitutas ſenſum amittere, oſtendit et experimento confirmare ſtudet. Quinto tandem methodum ab Ill. HALLERO, et qui eum in hac re ſequuntur, uſitatam conſiderat, atque *experimenta iuxta illos non amplius ante rationem ſed poſt eam inſtituta, et neruos tendinum et membranarum viſibiles et manifeſtos abſolute negatos eſſe*, aſſerit. p. 9.

His praemiſſis primo loco pericranium conſiderat, idque, propter neruos, ſenſile eſſe pronunciat. p. 11.
Neruos a pari ſeptimo cerebri et ceruicalibus prouenire et ad pericranium tendere, oſtendit, eius autem ſenſum, experimentis inſtitutis, ſeſe obſeruaſſe, perhibet.

Eadem ratione et perioſtium, neruis praeditum, ſenſile hinc eſſe, autumat. Neruos autem in maxillae inferioris, femoris et tibiae perioſtio manifeſte vidit. p. 15.

Oſſium medullam neruos habere, inde eam ſenſilem, hominesque, tacta medulla, de dolore conqueſtos eſſe, dicit. p. 19.

Cum autem et in dura et pia matre tum a Noſtro tum ab aliis ramuli a neruis quinti et ſeptimi paris prouenientes obſeruati fuerint, utraque ergo membra- p. 21.

brana ſenſilis pronunciatur, et experimentis confirmatur.

p. 25. At vero, cerebrum ſenſu carere, medullam autem oblongatam eo praeditam eſſe, aſſerit atque ſuis aliorumque experimentis inſtitutis probat.

p. 35. Licet autem, neruos in cornea demonſtrare, difficillimum eſſe, dicat, in boue tamen filamenta neruoſa, a neruo motorio, in tunicam hanc tendentia ſeſe vidiſſe, putat, eam autem vere ſenſilem eſſe, experimentis et obſeruationibus chirurgicis confirmatus, defendit.

p. 39. Ad tendines quod ſpectat, neruis iſtos omnino praeditos eſſe, aſſerit. In Achillis enim tendine neruum a muſculo gaſtrocnemio prouenientem, ipſum tendinem ingredi, aliumque inſimul a crurali ortum neruum externe tendinem intrare, vidit, cuius autem finem non in tela celluloſa ſed in ſolida tendinis compage obſeruari, tradit. Tendines itaque, neruis praeditos, ſenſiles proinde eſſe, experimentis ultro confirmat.

Ad partium tandem irritabilitatem quod pertinet, varia in variis et lacertis in primis tentamina fecit, harumque capite reſecto, cor diu poſthac moueri, atque caudam irritatam ſeſe contorquere obſeruauit.

p. 63. Tertia epiſtola, quam ad Cl. LAMBERTVM dedit Cl. Auctor, et corneae et durae matris ſenſum tribus iterum obſeruationibus chirurgicis probat. Prius autem, quam rem hancce enarrat, Cl. LAMBERTI obſeruationes de ſenſibilitate in hominibus annotatas laudat, inſimulque obiectioni, cur nempe hoedi eo tempore, quo Achillis tendo irritetur, lac tamen ſugant, nec ob dolorem deſiſtant, occurrit,

p. 67. atque ita reſpondet: *Ego*, inquit, *opinor hanc inſenſitiuitatem ſuam originem ducere ab anima rationali in hominibus et a ſpiritu ſeu ab anima ſenſitiua in brutis animalibus, quae, dum maxima cupiditate et auiditate*

ad

ad cibum incumbit, dolores corporis partium absque ulla commotione fert; eodem fere modo, quo in animi vehementioribus pathematibus, atque intenſo nimium ſtudio perſaepe corpus parum aut nihil ſenſile remaneat.

XIII.

De victu febricitantium diſſertatio Auctore IOSEPHO ANTONIO PVIATI Sacilienſi, in Patauino gymnaſio praxeos medicae ordinariae P. P. P. Patauii, typis Seminarii MDCCLVIII. pl. 22. ſine praefat.

Diſſertationem hanc Cl. Auctor ex inſtituto quodam gymnaſii Patauini ſub finem litterarii curriculi ex loco publico dicere quidem coeperat, cum autem per breue temporis ſpatium totam illam recitare non licuerat, auditorum vero multi integram ab Ipſo quaererent, luci eam publicae exponendi cepit conſilium. Agit vero in illa praecipue de victu aegrotorum acuta febri laborantium, enarratque, qualem veteres medici iis in morbis, qualem neoterici ſuaſerunt et adhuc ſuadent, atque argumenta, quibus doctrina haec corroboratur, addit, illud, quod contra illam obiici poſſet, repellit, damnaque ex peruerſo victus in febribus uſu oriunda recenſet, atque de reliquo multa, quae non ſtricte ad hoc thema, potius ad uniuerſam febrium hiſtoriam pertinent, ſubiungit.

Quo itaque viam ſibi ſterneret, qua omnem doctrinam hanc de victu febricitantium percurrere poſſet, diſtinctionem ſpeciesque febrium, et ad illas variam victus rationem ab antiquiſſimis iam medicis conſtitutam praemittit. Morbi in genere ipſis erant vel acuti, vel chronici; illi diuidebantur in acutiſſimos, in peracutos, in acutos ſimpliciter et in acutos per decidentiam, ut vocant. Huic diuiſioni et

varius

p. 6. varius conſtituebatur victus conueniens, ita, ut acutiſſimis victum extreme tenuiſſimum, qui plenam erat abſtinentia, peracutis tenuiſſimum quidem, non tamen extreme, ſub quo melicratum, oxycratum et ptiſanam colatam intelligebant, ſimpliciter acutis tenuem, ad quem ptiſanam ex hordeo paratam, non percolatam referebant, atque acutis ex decidentia victum plenum, oua ſcilicet, alicam et piſces ſaxatiles imperarent. Ad hanc et morbi et victus diſtinctionem ſtudioſe animum aduertiſſe veteres medicos

p. 11.

p. 22. pluribus ex HIPPOCRATE et GALENO teſtatur locis Cl. Auctor, qui etiam data hac occaſione Hippocratem ab inconſtantiae crimine, cuius ob aphorismum quendam a pluribus accuſatur, ſatis verboſe, ſcilicet verba illius aliter, quam ab illis factum fuit, interpretando, liberat, grauiterque in eos inuehitur, qui regulis veterum non obedientes in acutis morbis iuſcula ex carnibus contritis expreſſa et conſummata exhibent, licet in genere quoad victus copiam conſuetudini aliquid dandum eſſe cum veteri-

p. 57. bus credat. Ne vero de idea conſuetudinis vacillarent, nec inde errores committerent auditores rationem illius explicare tentat mechanicam. Duplex datur conſuetudo, alia, qua agimus, alia, qua patimur; illam vocat Cl. Auctor id, cuius auxilio opus aliquod facile perficitur. Facile vero perfici poteſt, ſi illud pluribus agitur viribus; difficile ſi pauciori-bus vel imminutis; adeoque conſuetudo in opere aliquo abſoluendo pro viribus auctis, et id, quod conſuetudini oppoſitum, inſuetudo (liceat hoc verbo uti) pro viribus imminutis haberi poſſit. Oritur autem conſuetudo, ſi organa ad opus aliquod exequendum neceſſaria reiterate agendo firmiora redduntur, quod vero ea ratione fit: quo magis exercentur organa, eo maior in illorum vaſa influit ſanguinis et fluidi neruei copia; hinc ex maiori ſanguinis copia influente vaſorum augetur amplitudo maiorque fit

nutritio

nutritio et a fluido nerueo maius robur, adeoque ad id operis conficiendum per crebram actionem organis maius robur pluresque vires conciliantur, quae vero ſuperius pro conſuetudine ſumebantur. Rem hanc explicatu difficilem exemplo ſurarum, quas curſores, et brachiorum, quae remigantes habere ſolent, illuſtrat. Hoc de organis voluntati noſtrae obnoxiis aeque externis ac internis valet; nec longe alia res eſt cum illis, quae extra voluntatis noſtrae imperium ſunt conſtituta, aut quibus tantum patimur. Organa enim rei alicuius perpetiendae conſueta ad rationem illius maius habent robur, maioresque vires, quibus impreſſioni ab extra factae reſiſtunt. Sic organa auditus illorum, qui inter tormenta bellica verſantur, tantum habent robur, tantisque reſiſtunt irritationi a fragore factae viribus, ut ea parum concutiantur, quin immo, milites fuiſſe hiſtoria tradit, qui haud longe ab exploſis tormentis remoti tranquillo uſi fuerunt ſomno; cum econtrario illi, qui antea nunquam illorum exploſioni adſtiterunt, ita concutiuntur, ut credant, ex nimio fragore omnem, disrupto tympano, auditus perdidiſſe ſenſum.

Variis de febrium acutarum praemiſſis, de quibus ad modum profunde paullulumque obſcure agere videtur, propius nunc ad rem propoſitam accedit, et tria, quibus totum de victu febri correptorum ſuperſtruit ſyſtema, ſupponit momenta, quorum primum: *febrim acutam a materia auferenda fieri*, ſecundum: *febrem acutam eſſe materiam auferendam cum magno impetu actam*, tertium: *ut materies auferenda ſalubriter auferatur, vires quidem eſſe aliquouſque minuendas, ſed non proſternendas.* Hinc igitur acute febrientibus non magna ciborum copia, quod in morbo corpus per ſe robuſtum, aliquo modo potius debilitandum quam nutriendum cenſet Auctor, nec cibi maxime alibiles, in quibus ſubigendis plus p. 72.

virium

virium conſumitur et illi eas officiunt, neutiquam ſuſtinent et augent, nec tales cibi, qui motus, in humoribus in febribus illis compeſcendos, excitant, concedi poſſunt. Valde igitur Cl. Auctor improbat victum animalem, primum, quod caro animalium maxima virtute nutriente polleat, adeoque ad ſubactionem illius plures requirantur vires, quae potius morbo ſuperando ſint impendendae; deinde quod in iuſculis ex carnibus diuturniori coctura paratis optimioribus multum optimi ſucci ſit perditum et quod e contrario ſalinae inde, teſte Cl. GEOFFROY, euoluantur particulae volatiliores, quae quantas in acute aegroto excitare poſſint commotiones humorum, facile eſt intellectu; denique quod caro ſanis aptum nutrimentum, aegris hinc neceſſario ineptum praebeat. Ridet etiam iure illos, qui minutim conciſas carnes, vel ex iis parata iuſcula non nocere et aquas analepticas ex pullis deſtillando paratas multum virtutis poſſidere arbitrantur. Oua, cum maximo ſint nutrimento, non niſi febri acuta ex decidentia laborantibus poſſunt concedi. Ptiſanae ex cerealibus et potiſſimum ex hordeo et auena paratae (triticum vero Cl. Auctor excipit ex eorum numero) non tantis, quantis carnes, valent virtutibus, illas idcirco merito ſuadet. Vario huic febrium victui, quo veteres ſunt uſi, alius ſubſtitui poteſt, non vero oua, non gallinae iura, non pullorum carnes, non amygdalarum cremor nec piſces ſaxatiles, ſed potius, et quidem melicrato et oxicrato veterum aqua, ſucco limonum et ſaccharo impraegnata, cremori vero ptiſanae emulſio ex ſeminibus frigidis plus minus diluta, paucis interdum additis amygdalis dulcibus. Conuenit etiam ptiſana ex auena et oryza atque ex pane parata panatella. Permittit quoque Cl. Auctor fraga, mora, ceraſa, ribeſia, mala et pyra, ex quibus poſterioribus tamen coctura plurimum aeris expulſerit. Nec diſſuadet in morbis peracutis, auctoribus

p. 92.

p. 104.

BECCARIO et MONTIO, Cammarorum aut cancrorum fluuiatilium iuſcula, vel in primis ubi ſuſpicio acidi, in viis primis peccantis, adeſſet. Si vero vires in ſimpliciter acuto morbo ad vigeſimum uſque diem ſunt ſuſtinendae, ius etiam pullorum vel verueecis cum oleribus mollibus et refrigerantibus coctum concedi poteſt. In acutis autem morbis ex decidentia exhiberi debent *panatellae valentiores*, *panis eiusdem ſubtiliores offulae e iure: ſubtiliora e paſta fermentata cibaria; oua recentia ſorbilia: eadem iure ſoluta: teneriorum animalium teneriores ſine pinguedine carnes: cerebra: iecinora*, *thymus vitulorum.*

Nunc tertium Cl. Auctor ſuperius propoſitum p. 110.
diſquirit argumentum, quod videlicet viribus quidem opus eſſe, affirmabat, ut auferenda materia ex corpore auferatur, ſed viribus non magnis; hinc vires acute febrientium non eſſe intendendas, ſed minuendas. Quicquid vero de eo propoſuit, eo, (ni toti fallimur) redire videtur, ut iubeat, in febribus acutis rationem febris ipſius, ne nimio ſaeuiat impetu, quoad victum haberi, nec medicos de viribus per illum augendis in ipſa febre ſollicitos eſſe. Quod autem tam ſingulari methodo inuſitataque dictione explicat, ut facile lector parum attentus falli et eo adduci poſſit, quo longe aliam, quam quae, ut opinamur, Cl. Auctoris ſit ſententia, et quae rei naturae reſpondeat minus, inde ſibi formet. Nam quicquid etiam ille de viribus acute aegrotantium imminuendis dicit, id tantum modo de febris viribus moderandis eſſe aſſumendum nobis videtur. Probe ſunt diſtinguendae vires a cauſſa morbi auctae, et vires, quae a natura ad aegrotorum ſalutem excitantur; illae enim ſemper omnique ſtudio ſunt infringendae atque imminuendae, cum e contrario, ut hae in vigore ſuo per totum morbi decurſum maneant, valde optandum; licet Cl. Auctori facile largiamur, eaque in re prorſus cum illo faciamus, id victu maxi-

me nutriente, cuius ergo omnia haec produxit et de quo in ſequentibus ulterius agit, damnumque inde oriundum mechanice explicat, iis in morbis praeſtari non poſſe. Sic aſſerta Cl. Auctoris, quae non nullis partim nimis dura, partim non ſatis congrua videri poſſent, interpretari debere credimus, ſi Cl. Auctori, differentiam illam, quae intercedit inter vires naturae et vires morbi hoc in loco non attendiſſe, cuius tamen in ſectione ſubſequente omnino meminit, vitio vertere nolumus. Certe exempla adducta ſatis ſuperque teſtantur, in iis aegris non nimiam ſaeuiiſſe febrim, nec motus excitatos fuiſſe deſtructorios, ſed tantum duntaxat adfuiſſe virium, quantum morbo ſuperando ſuffecerit; ideoque quod aegri et morbo conualuerunt, non viribus imminutis eſt tribuendum, quae potius a morbo ipſo fuerunt imminutae et deſtructae, ita, ut vires deſtructae vel imminutae. effectus ſint morbi debellati, non vero cauſſae morbi feliciter debellandi.

p. 138. Quaeſtionem nunc mouet, quomodo aeger viribus vere exhauſtus in ipſa adhuc urgente febri ſit nutriendus. Apte id docet exemplo aegroti alicuius ex GALENO deſumti; ex quo ſub finem colligit: eiusmodi aegris victum quidem pleniorem eſſe praebendum, hac tamen lege, ut parum una vice et ſaepius ille exhibeatur. Licere etiam, urgente debilitate, aegro in ipſo febris ſummo paroxyſmo victum exhibere idem docet exemplum, quo in caſu Cl. Auctor iuſcula cum ouis recentibus ſucco limonum, citrinorum aut aceto condita, additis ſpiritu eſſentiali meliſſae; aqua cinnamomi, vel ptiſanam ex oryza cum ſyrupo rubi idaei, vel vinum, panisque optimi tor-
p. 146. refactas offulas et eo madidas ſuadet. Sunt etiam aegroti, qui ciborum in ipſo morbo capiendorum auidi, nec parco victu contenti debilitatem ſimulant, ne ab iis decipiatur medicus, ad arteriarum pulſum virium optimum indicem attendi, ſuadet Auctor et cautelam

cautelam eo in casu addit, ubi et ipsi aegri a quodam sensu interno falluntur. Euenire enim solet, ut ii, qui ventrem mole paruum et graciliorem habent, ventriculo depleto, viscerum pondus et suspensionem sentire videantur, quae sensatio, ventriculo iterum repleto cibis, mox euanescit.

Duo etiam loca ex HIPPOCRATE inter se in- p. 152.
uicem comparat Cl. Auctor, in quorum altero aegros statim ab initio, contra Diatritarios, nutriendos, quo ad morbum superandum vires postea non deficerent, in altero vero, ab initio morbi euacuationem esse instituendam, praecipit, rationemque, qua id dictum fuerit, exponit. Sub finem quoad victum p. 168.
dum in morbis acutis, cum chronicis multas et egregias suppeditat regulas, quae, ut obseruentur, omnino dignae sunt. Nostram si nobis liceat, de hoc opusculo exponere mentem, nos, quoad propositae theseos summam cum Cl. Auctore consentire, ingenue fatemur, licet in rationibus atque argumentis, quibus illam commonstrare et corroborare annisus fuit, ab Ipso interdum iure, ut credimus, optimo dissentire, inficias ire nolimus. Meretur interim, Cl. Auctor non paruam laudem, et opusculum, ut a medicis practicis legatur, commendamus.

XIIII.

Deux Memoires ſur la formation des os, fondés ſur des experiences. Par ALB. DE HALLER, Preſident de la Societé Royale des Sciences de Göttingue, Membre de l'Academie Royale des Sciences de Paris; de celles de Londres, de Berlin etc. A Lauſanne, chez Marc-Mich. Bouſquet et Comp. 1758. 12. pl. $11\frac{1}{2}$.

h. e.

Commentarii duo de formatione oſſium experimentis ſtabiliti. Auctore ALB. DE HALLER, etc.

Huius libelli pars prior in duas iterum diuiditur partes, quarum altera experimenta continet, quae cum rubia tinctorum, ad inueſtigandam calli oſſium formationem inſtituta ſunt, altera autem obſeruationes tradit, quas de oſſis formatione in ouis incubatis Ill. Auctor collegit. Ex his, priori commentario inſertis, obſeruationibus, ſat numeroſis, res maxime notatu dignas ſeorſim collegit et epitomen de his exhibuit; quibus tandem rite perpenſis varia conſectaria ſubnexuit: Atque haec omnia commentarius ſiſtit poſterior. Quod ad priorem ſpectat, breuibus nos expediamus. Ibi enim non niſi obſeruationum et experimentorum indiculus continetur, quorum autem ſumma absque iactura tradi vix unquam poteſt. Pauca tamen commemorare liceat.

p. 9. Quae prioribus paginis continentur, ad calli formationem pertinent, eaque, ut Ill. Auctor monet, obſeruationes et experimenta ſiſtunt, quae cum rubia tinctorum Cl. DETLEF inſtituit, et diſſertationi ſuae inaugurali inſeruit.

His

His expoſitis non nulla inde Noſter deducit con- p. 39.
ſectaria, quorum ſumma ſequens eſt: 1) Callus ex ſucco gelatinoſo a fractis oſſium extremis et medulla proueniente formatur. 2) Succus hic per gradus craſſeſcit tandemque in cartilaginem mutatur. 3) In hac, cartilagine nimirum, oſſeum punctum, ut in naturali oſſificatione enaſcitur, ſenſim augetur, et cartilaginoſa facies contra minuitur. 4) Callus ceu verum os ſpongioſum apparet, quod temporis tractu durius ſenſim euadit. 5) Perioſteum nihil ad oſſium unionem confert, et non niſi callo indurato renaſcitur. 6) Vaſa in callo reperiuntur. 7) Tandem rubia tinctorum nec perioſteo nec cartilagini, ſed oſſibus tantum et oſſeo etiam in cartilagine deprehendendo puncto imo et callo, in os iam mutato, colorem conciliat.

Commentarius poſterior, qui obſeruationum ſum- p. 177.
mam et varia conſectaria continet, in ſectiones octo diuiditur, quarum prima de cartilagine agit. Haec primum oſſis elementum dicitur et parum a primordiali, oſſa componente, gelatina differt. Die incubationis ſeptimo flexilis ea adhuc eſt, nullas autem fibras, nullas laminas nec ulla tunc temporis vaſcula continet, eiusque pelluciditas aquae ſimilis eſt. Hora 192. oſſea ſubſtantia primum apparet, tuncque ea cartilagini quaſi intermixta eſſe videtur. Flauo tamen colore vel rubro nec non natura fibroſa dignoſcitur a cartilagine, quippe quae pellucida eſt nec fibroſa unquam exiſtit. Cartilaginis longitudo augetur, prout oſſea pars creſcit, ita tamen, ut, totius oſſis longitudine ponderata, oſſea pars augeatur, cartilaginea autem ſenſim imminuatur. Sic v. g. tibiae ſubſtantia, quae primis diebus maximam partem cartilaginoſa fuit, ita ſenſim oſſeſcit, ut die decimo quinto elapſo cartilaginea ſubſtantia vix lineam dimidiam aequet. Durities cartilaginis cum intercurrentibus oſſeis lineis ſimul augetur, ſique perfecte indu-

rata eſt, tunc in extenſione ſubſiſtit et praeter lineam, inter corpus et epiphyſin deprehendendam, flexilis ulterius haud eſt.

p. 185. Sectio ſecunda id, quod corpus oſſis dicitur, conſiderandum offert. Hoc a cartilagine differt: Rigidum enim et fragile eſt, nec non colore fibris et laminis inſtruitur. Die octauo prima veſtigia oſſis apparent, idque ex colore cognoſcitur. Opacitas namque oritur, ubi os formatur, idque, quod opacum eſt, ſi microſcopio ſubiicitur, fibroſum apparet, ſulcisque ſenſim natis color etiam rubeſcens ſubnaſcitur. Quodſi pars ſulcoſa nunc et colorata eſt, flexilitas ceſſat, quodque contra tunc temporis album et laeue deprehenditur, id flexile eſt. Os praeterea ſubitum incrementum capit et breui tempore cartilaginem ſuperat. Fibrae enim a corpore oſſis productae hinc inde cartilagini intertextae reperiuntur, et quotidie augmentum capiunt, uſque dum totum oſſis corpus oſſeſcat, exceptis extremis, quae cartilaginoſa exiſtunt. Die decimo quarto ſulci ſanguine turgent, iamque vaſa intra oſſis ſubſtantiam reperiuntur. Laminarum ortus breui poſt, fibrarum originem obſeruatur, idque die decimo quarto euenit. Laminae hae ope ſulcorum, vaſa continentium, a se inuicem ſeparantur.

p. 194. Sectio tertia cauitatis medullaris, laminarum et ſubſtantiae alueolaris formationem deſcribit. Cauitas oſſis die octauo elapſo primum in conſpectum venit, ſenſim augetur et, cartilagine in os iam mutata, ad epiphyſes uſque extenditur. Haec cauitas in medio anguſtatur, ſi os ibi craſſeſcit, contra vero circa epiphyſes ampliatur et per aliquod tempus laeuis eſt. Ad finem diei duodecimi laminae oſſis cernuntur, quae in medio numeroſiores exiſtunt quam circa epiphyſes, et primis diebus ſpongioſae et lanuginoſae ſunt, quaeque tractu temporis, poris imminutis inque ſulcos mutatis duriores euadunt. Laminas has

ad

ad finem ambit celluloſus quidam contextus, qui alueolorum oſſeorum, partem alueolarem dicit Noſter, delineationem ſiſtit. Ad hos, alueolos nimirum, vaſcula ab utroque oſſis extremo prouenientia tendunt, cruſtamue cartilaginoſam perforant, quorum rami laminas inter ſe nectunt, cellulasque formant.

Sectio quarta membranarum et medullae origi- p. 204.
nem continet. Perioſteum eodem tempore, quo cartilago in conſpectum venit, apparet, et epiphyſi et ei parti, quae corpus oſſis conſtituit, adhaeret. Valde tenerum in principio iſtud eſt, eiusque craſſities augetur, prout os creſcit aut cartilago in os mutatur. Quamdiu os cartilago eſt, iſtud parum adhaeret, ſtatim autem, ac os conſpicitur, huic fortius adhaeret, ſique tunc remouetur, vaſcula in oſſe conſpiciuntur, quae autem, ut Noſter putat, non a perioſteo proueniunt. Hoc enim album ſemper et celluloſum reperit. Ad finem diei duodecimi prima veſtigia medullae cernuntur, tuncque vaſcula celluloſo contextu unita cilindrum cellularem, totam oſſis cauitatem interne occupantem conſtituunt. Haec vaſcula ſub membranae forma apparent et ceu perioſteum internum conſiderari poſſunt. Nunquam autem iſta, membrana nempe oſſi interius ut verum perioſteum externum adhaeret, ſed ad includendam et firmandam pinguedinem deſtinata eſſe videtur.

Sectio quinta epiphyſeos et nuclei oſſei formatio- p. 211.
nem tradit. Quam primum os conſpicitur, etiam epiphyſis apparet, ideoque una cum oſſe formatur, cum quo primis ſtatim diebus continuum conſtituit, intercurrente nimirum linea cartilaginoſa, inter corpus oſſis et epiphyſin deprehendenda. Eo in loco, ubi epiphyſis corpori oſſis iungitur, nulla laeuitas ſed aſperitas eſt, quippe quae corpus epiphyſi nectit. Praecipuum autem vinculum eſt perioſteum. Hoc enim a corpore oſſis prouenit et ad epiphyſin tendit, et utrique loco valde adhaeret. Differt epi-

physis ab ipso ossis corpore in eo, quod corpus ossis citius, tardius vero epiphysis in os mutetur. Differt de reliquo eadem ratione formationis. Corpus enim si ex cartilagine in os transit, lineas osseas emittit, quae sensim sensimque augentur, usque dum omnis cartilago in os mutata sit. In epiphysi autem nucleus osseus deprehenditur, qui in medio residet, et sensim augetur, ita, ut de epiphysi tandem et ossis corpore, utrisque in principio cartilaginosis nihil remaneat quod cartilaginis formam haberet, quam illa linea, quae inter epiphysin et ipsum corpus deprehenditur.

p. 218. Sectio sexta ossium vasa tam corporis quam epiphyseos describit. Die undecimo prima vestigia arteriae deprehenduntur, tuncque ea ceu macula in tibia aut femore apparet. Die decimo tertio ad ossis longitudinem ista decurrit, haecque in femore duplex inque tibia simplex est et a crurali prouenit. Intrat ea ipsum os, cui omnia vasa largitur. Proueniunt namque vasa, quae inter ipsas ossis laminas decurrunt, proueniunt porro ea, qnae membranas, medullam constituentes, perreptant, proueniunt tandem et ea, quae ad interius ossis latus decurrunt. Ex vasis, quae in corpore ossis reperiuntur, quaedam ad epiphysin tendunt, crustamue cartilagineam perforantes in epiphysi distribuuntur, sed haec non sola existunt: Accedunt enim et alia, quae a vasis, epiphysin exterius cingentibus, proueniunt et dein intrant.

p. 235. Sectio septima gradus euolutionis ossium eorumdemque augmenti rationem exponit. Ossa, quae ad octauum usque diem flexibilia nec unquam elastica sunt, die hoc elapso elastica nunc deprehenduntur, eorumque color, qui albus adhuc fuit, nunc flauus, hocque postea transeunte, ruber fit. Die duodecimo filamenta et sulci nec non laminae ossium et medullae vascula distinguuntur insimulque puncta rubra

hinc

hinc inde apparent. Cuncta haec die decimo ſexto perfectiora exiſtunt. Sulci enim omnes formati tunc ſunt, et puncta illa rubra in vaſcula iam mutata deprehenduntur. Die tandem decimo octauo os durum et fragile eſt. Quod autem hic de naturali oſſium euolutione obſeruatur, id ſane et in calli formatione deprehenditur. Iidem namque gradus euolutionis et augmenti in hoc quam in oſſe obſeruantur; quae autem res notatu digna eſt, in primis ſi perpendamus, callum ex ſucco oſſium effuſo, ideoque aliter, ac oſſa ſolent, generari.

Sectio ultima corollaria et meditationes de mechaniſmo et incremento oſſium continet. Quae hic legimus ad perioſteum et formationem oſſis ſpectant. Quod ad perioſteum pertinet, Ill. Auctor oſtendit, iſtud minime oſſificationis cauſſam eſſe, multoque minus ipſum in os mutari. Veritas huius aſſerti ſequentibus probatur: 1) Perioſtei ſtructura ab oſſis fabrica plane diuerſa eſt. Celluloſum enim eſt, fibrasque paruas et minus conſtantis directionis habet. 2) Perioſteum tardius formatur ipſo oſſe, dumque hoc formatum iam eſt, iſtud admodum ſubtile cernitur, craſſius contra fit, dum os craſſeſcit. 3) Si perioſteum laminas oſſis formaret, ſequeretur, ut illud oſſi arctius adhaereat. Aſt contrarium deprehenditur. Eo enim in loco, ubi oſſeum punctum ſenſim increſcens, in cartilagine cernitur, iſtud plane non adhaeret. 4) Perioſtei laminae nunquam ſemi oſſeae apparent, os autem, quod cartilaginoſum primo fuit, in os mutatur, absque eo, ut in membranam prius tranſeat. 5) Perioſteum materiam oſſificantem non ſuppeditat, idque probatur, quod nucleus oſſeus in medio cartilaginis deprehendendus nullo perioſteo tegitur. 6) Perioſteum humorem oſſis nutritium minime adfert. Album enim eſt, nec ulla vaſcula eo tempore exhibet, dum oſſis vaſa conſpicua iam ſunt. 7) Tandem oſtenditur, quod particulae colo- p. 245.

ratae ad ossificationem requirantur. Nunquam enim cartilago absque colorum mutatione praeuia in os mutatur. Ast nunquam etiam perioſtei color mutatur, nec colorem a rubia tinctorum acquirit, licet tunc os tinctum ab ea appareat. Ex his itaque Noſter concludit, perioſteum oſſi tegumento tantum datum eſſe, figurae eius limites ponere et vaſcula nutritia adducere, os autem ipſum ex glutine in cartilaginem mutando formari.

p. 252. His tandem coniecturas de oſſium formatione appoſuit Noſter. Primarium momentum, quod hic excutitur, eſt ipſa oſſificatio, cuius cauſſa in corde et arteriis ponitur. Os nimirum, quod primis diebus gluten tantum fuit, facile et ſubito in cartilaginem mutatur. Mutatio autem huius in os nec facilis nec ſubita ſed tarda admodum et obſcura eſt. Nunquam enim cartilago in os mutatur, niſi pars, quae in os tranſit, antea opacetur et colorem ex albo flauum acquirat. Ast opacitas et colorum mutatio ſignum fluidi aduenientis eſt, quod autem non niſi per vaſa ibi deferri poteſt. Arteriae ergo, in oſſe prius non conſpiciendae ſenſim tamen viſibiles factae, materiem, terram nimirum aduehunt, quae cauſſam mutationis cartilaginis in os ſuppeditat. Ast arteriae vi cordis incitatae materiem propulſant; prout ergo cordis vis augetur, oſſis tunc quoque augetur duricies. Hinc ſulci, laminae et oſſis colores varii oriuntur, atque os ipſum, arteriarum pulſatione ſenſim aucta, eo demum diſponitur, ut perfecte indureſcat. Quod autem de naturali oſſificatione hic aſſeritur, valet etiam de formatione calli. Hic enim haud prius oſſeam duritiem acquirit, ac ſi eius ſubſtantiam vaſa antea perreptauerint, quibus demum obſeruatis, ipſius etiam calli ex cartilagine in os mutatio obſeruatur. Ergo cor cauſſa oſſificationis exiſtit. Hoc namque in arterias, hae autem in os, cartilaginoſum adhuc agunt, et tranſmutant. At, magis

gis huius asserti veritas elucet, si quando ipsas obseruationes consulimus. His namque euincitur, quod, quo debilior in foetu motus cordis obseruetur, eo tardior ossis mutatio procedat, contra vero, quo vegetior idem est, eo celerius os ex cartilagine in osseum statum transeat. Cum autem eadem ossium structura, quae auibus est, et in quadrupedibus obseruetur, horumque fabrica cum hominum structura conueniat, eandem inde ossificationis rationem, quae in auibus reperitur, et in quadrupedibus et hominibus locum inuenire, Noster tandem concludit.

XV.

Acta Heluetica physico - mathematico - anatomico - botanico - medica, figuris aeneis illustrata et in usus publicos exarata. Volumen III. Basileae typis et sumtibus Ioh. Rudolphi Imhof. 1758. 4. alph. 2. pl. 10. tab. aen. 17.

Ex iis, quae in hocce volumine occurrunt, obseruationibus, partim summam partim inscriptiones apponere liceat.

1) *De calculis in vesica repertis et a Cl.* I. D'APPLES *communicatis relatio*, gallico sermone conscripta. Auctore Cl. ROGGVIN. Laborauit nimirum vir quidam fluxu haemorrhoidali, quo cessante sanguis cum urina effluxit. Paulo post de doloribus, ut calculosi solent, conqueritur; vesica ergo disquisita corpus durum, resistens et immobile repererunt, inde remedia, calculum soluentia, adhibuerunt, quibus diu usurpatis, nullo tamen leuamine obseruato, tandem obiit. Corpore aperto quatuor in vesica detexerunt calculos, quorum singulus unciam pondere excessit. Praeter hos quatuor excrescentias glandulosas, figurae pyramidalis, deprehenderunt, inter p. I.

quas

quas via reperta fuit, per quam urina exiit. Excrescentias has, duritie cartilaginosa praeditas, impedimento fuisse, quo minus ad detegendos calculos filus immitteretur, Cl. Auctor refert.

p. 7. 2) Cl. IACOBI D' APPLES *duae observationes practicae de mira et stupenda efficacia radicis scillae in morbis chronicis ac praesertim hydropicis.* Radice scilla prius descripta, variisque, quibus a botanicis insignitur nominibus adductis, tribus tandem exemplis usum huius radicis in hydrope et tumoribus oedematosis proficuum laudat, et, quod ei suffragari non dubitamus, recentem radicem exsiccatae, quae plurimis hactenus in usu fuit, anteponendam esse, censet.

p. 10. 3) Cl. PETRI GILLERI *observatio de inconsueta ventriculi extensione.* Viri nimirum, variis ventriculi affectionibus diu cruciati, materiem nigram saepe euomentis et inter vomendum tandem defuncti corpore aperto nullum omentum, nullaque intestina sed ingens saccus, totum abdomen obtegens et ad peluim usque productus in conspectum venit. Hunc saccum herniam ventriculi appellat Noster. Orificia enim parum e sede naturali diducta, sed fundus eius et latera ita distenta fuerunt, ut ingens inde cauitas exoriretur. Dilatati huius ventriculi longitudo ultra duas ulnas helueticas, ambitus autem unius fere filum admisit. Sub finem tractationis varios subnexuit auctores, qui similes ventriculi hernias obseruarunt.

p. 13. 4) Cl. IO. HENRICI LAMBERTI *theoria statterarum ex principiis mechanices uniuersalius exposita.*

p. 23. 5) *Varia schediasmata de thermometris et barometris, collecta ab Auctore, qui, uniuersale thermometrum*

trum conſtruendi, methodum propoſuit gallico idiomate conſcripta. Hic occurrit,

Deſcriptio methodi, thermometrum uniuerſale conſtruendi. Editio noua, reuiſa, correcta et aucta ab eodem Auctore.

Determinatio frigoris ſummi, quod vulgari modo Pariſiis ad expoſitionem borealem anno 1709. 1740. *et d.* 10 *Ianuar.* 1742. *notarunt.* p. 51.

Eiusdem Auctoris agendi ratio in determinando conſenſu mutuo thermometrorum Cll. DE LISLE, FAHRENHEITII, NEWTONII *aliorumque cum thermometro Auctoris ſpiritu vini parato.* p. 58.

Commentarius de thermometris Cl. REAVMVR *et Auctoris,* in forma epiſtolae, *reſponſoria ad tomum quartum Lectionum Phyſicarum Cl.* NOLLET. p. 65.

Explicatio tabularum, effectus caloris et frigoris in barometro corrigentium. Auctore eodem. p. 94.

Tabulae, effectus caloris et frigoris in barometro corrigentes; directae ad gradus thermometri uniuerſalis cum ſpiritu vini parati; combinatae cum gradibus deſcenſus et aſcenſus thermometri uniuerſalis mercurialis, ita, ut omnes obſeruationes barometricae ad terminum temperiei globi terraquei redigi poſſint. p. 97.

6) *Modus deſcribendi ſcalas thermometrorum, quorum tubi variantem amplitudinem habent.* Auctore Cl. LVD. WENTZIO. p. 105.

7) *Deſcriptio ſpeciei Myrrhidis montanae perennis.* Auctore Cl. GAGNEBIN. Gallico ſermone exarata. Characterem uniuerſalem umbelliferarum plantarum et ſpeciatim myrrhidis ex optimis Auctoribus repetit, ſynonyma huius ſpeciei proponit, monetque Cl. LINNAEVM *Myrrhidem perennem albam minorem foliis hirſutis ſemine aureo* HALLERI in Edit. III. Florae Ienenſis Ruppii depictam, quae noſtra planta eſt, minus accurate ad *Chaerophyllum caule aequali foliolis inciſis, acutis* Sp. Plant. no. 4. p. 258, et ita ad *Cicutariam* p. 109.

riam paluſtrem, latifoliam, album C. B. P. 167 reduxiſſe. Noſtrae vero plantae deſcriptiones ex LOBELIO aliisque auctoribus in primis ex HALLERO repetit, poſtea vero ampliorem ipſe tradit, cuius ſumma haec eſt. Radix lignoſa ex flauo rufeſcens, cauleſcens, fibris ſparſim dimiſſis; caulis ut plurimum tri vel quadripedalis medulla alba repletur, externe ſtriatus, ad exitum ramorum nodoſus, et hic et petioli foliorum aſperitate plus minus inſigni variant; Folia ſimili modo variantia cum *chaerophylli ſylueſtris* foliis maxime conueniunt. In florum et ſeminum deſcriptione breuior eſt nec alia profert quam, quae myrrhidis characteri in genere competunt. Cum odorata ſit planta illa ratione virtutis cum *chaerophyllo hiſpanico moſchato* comparat cuius ſynonyma et deſcriptionem ſubiungit, et ſimul uſus varios a ſcriptoribus materiae medicae indicatos recenſet.

p. 128. 8) Cl. IO. HENRICI LAMBERTI *obſeruationes variae in matheſin puram.*

p. 169. 9) Cl. IOANNIS HOFERI *Io. filii diſſertatio epiſtolaris de poſſibilitate phyſica longaeuitatis Patriarcharum ante diluuianorum ad Virum Excell.* FRIDERICVM ZWINGERVM. Vt ordino aliquo procedat Noſter, primo annorum, quos vixerunt Patriarchae, numerum conſiderat; deinde, diluuio praegreſſa longaeuitatis decrementum indicat, porro ipſum diluuium eiusque effectus perpendit, tandem cauſſas vitae patriarchis prolongatae adducit. Quod ad primum momentum ſpectat, Cl. Auctor demonſtrat, ante cataclyſmum primos homines ultra ſaecula nouem fere ſemper vixiſſe, poſt diluuium vero annorum ſeriem ita ſtatim decreuiſſe, ut ii iam, quos ſummum numen in ipſo diluuio ſeruauerat, vix ſexcentos annos attingerent. Ab eo tempore autem notabiliter annorum numerus decreuit, ita, ut Ioſephus,

phus, Iacobi filius, vix noſtram aetatem ſuperuiueret. Quaenam igitur illius longaeuitatis cauſſae? Hae ſequentes traduntur: Prima nimirum in pluuia nec non tempeſtatum viciſſitudine deficiente; ſecunda in ventorum pariter defectu, tertiaue demum in montium colliumue abſentia ponitur. Vltimum hocce aſſertum ex petrefactorum conſideratione probat. Digreſſionem igitur paulo facit, et, obiectionibus quibusdam remotis, ad ipſam petrefactorum conſiderationem accedit, quorum non nulla et in primis ea, quae ipſe ſeruat, deſcribit. Poſthac cataclyſmi effectus ulterius perpendit, ipſiusque telluris ſtructuram ante diluuium obſeruandam conſiderat. Hanc ex ſtratis horizontalibus conſtitiſſe, ita, ut ſuperius ſtratum ex mera et ſincera humo pingui, plantarum vegetationi aptiſſima, componeretur, aſſerit et praeter arenam et ſilices nullos ante diluuium lapides fuiſſe, coniicit. Ex his autem aquarum et vegetabilium puritatem demonſtrare annititur, et ex hac ipſam iam ſalubritatem corporis probat. Cum enim talis aqua nullis particulis terreo calcareis inquinata nec etiam vegetabilia eiusmodi particulis referta, ſed ſimplici tantum et pauciſſima terra praedita fuerint, factum inde et eſt, ut humores animales diu ſane ſibi ſimiles manerent. Accedit etiam hoc, quod homines ante diluuium nullis carnibus veſci conſueuerint, ſed ſimplici ſemper et vegetabili victu contenti noxiam ciborum varietatem ignorauerint. Haec Noſter conſiderans ad morborum ortum peruenit, tuncque Patriarchas nullo morbo laboraſſe, ſed placidiſſima, ſine morbo, morte periiſſe, probabile reddit. Cunctis his ſtabilitis longaeuitatem hominum ante diluuianorum demonſtrare vix dubitat, magnasque illas a cataclyſmo inductas mutationes perpendens corpora hominum notabiliter etiam mutata tantum annorum numerum attingere nunc non poſſe, oſtendit.

10) *Obſer-*

p. 212. 10) *Obſeruationes chirurgicas de ulceribus et quidem* 1. *de ulcere carcinomatoſo, vel potius cancro ipſo horrendo, totam temporis dextri occupante regionem*; 2. *de ulcere carioſo in pedis metatarſo*; 3. *de ulceribus non nullis anepuloticis poſt variolas relictis, in ſcenam producit et figuris illuſtrat* Cl. PHILIPPVS IACOBVS SCHLOTTERBECCIVS. Qui prima obſeruatione deſcribitur morbus, cancer apertus horrendi foetoris fuit, dextriue lateris regionem temporalem occupans partes ibi ita exeſit, ut palmam unam cum dimidia commode admitteret plaga. Praeter partes has, inſigniter exeſas, variae diuerſaeque magnitudinis excreſcentiae viſae fuerunt, quarum non nullae nucem una autem ouum gallinaceum magnitudine aequarunt. Variis remediis in et externe incaſſum adhibitis, et ſuaſu et querelis ipſius aegrotantis pertaeſi nodos illos reſecarunt, quo facto quarto, ob operatione, die obiit. Occaſionalis huius cancri cauſſa et origo ſequens agnoſcitur: A dente nimirum pectinis laxioris, grauiter tempori dextro impacto, paucos poſt dies tuberculum duriuſculum, piſi magnitudine, oboritur, augmentum quotidie capiens. Cum vero huic parti, minus caute tractatae, ſuaſu cuiusdam lithargyrium, cum aequali portione mercurii ſublimati corroſiui mixtum, applicatum fuerit, malum ſtatim eo ceſſit, ut non ſolum tumor multo maior euaderet, ſed et cancer exulceratus, foetidiſſimi odoris, longe lateque ſerperet.

p. 221. Altera obſeruatione hiſtoria pedis exulcerati traditur. Foeminae nimirum ſubluxatur pes infimus, hicque, conſilio chirurgi ſpreto, ab ipſa aegrotante tractatus ita corruptus euadit, ut in diuerſis tarſi et metatarſi oſſibus accedat caries. Malum hoc diu ferens ſibique ſemper ſola proſpiciens, tandem diu cruciata medentum auxilium implorat, qui, morbo diſquiſito, non niſi de amputando pede verba faciunt.

unt. Qua conceſſa et ſub genu inſtituta tandem euaſit.

Tertia obſeruatione ulcera poſt variolas relicta commemorantur, quae in occipite in primis et natibus notatu digna fuerunt. Inter haec illud, quod occiput occupauit, ita ſe habuit, ut totum occipitis os, ob abſceſſum, foetido pure ſcatentem, diuque latentem, pericranio denudatum appareret. Varia licet auxilia exhibita fuerint, malum tamen plus valuit et e viuis aegrotantem eripuit. p. 224.

11) Cl. FRIDERICI ZVINGERI *obſeruata non nulla lithologica cum adiectis iconibus.* His variae Achatum, Muſculitae et Chamitae ſpecies, in ditione Baſileenſi repertae, deſcribuntur et figuris illuſtrantur. p. 226.

12) *Commentarius* Cl. DANIELIS BERNOVLLI *de noua acu magnetica Baſileae a* Cl. DIETERICO *inuenta*, gallico idiomate conſcriptus. p. 233.

13) Cl. IO. IACOBI HVBERI *obſeruatio anatomica.* In cadaueris nimirum foeminini femore muſculum detexit, quem alios vel praeteriiſſe vel non animaduertiſſe putat. Hic muſculus, vaſtis et crurali remotis, apparuit, ita ut ex ipſo oſſe iam carneae fibrae exortae prodirent, externamque oſſis faciem inueſtientes ad condylos uſque decurrerent. Ibi in duos faſciculos abiit, quorum alter in patellam alter in condylum uterque vero maximam partem in ſic dictam burſam ſe inſeruit. Ex medio huius muſculi longus ac carneus primo, poſthac autem tendineus proceſſit faſciculus, qui ad poplitem accedens in pinguedine ibi collecta euanuit. p. 249.

In eodem cadauere ſingularem etiam ortum muſculi plantaris annotauit, tandem leuatoris ſcapulae deſcriptionem addidit. p. 251.

p. 254. 14) *Obſeruatio de hydrope omenti*, gallico ſermone exarata. Auctore Cl. I. D' APPLES. Hic notamus, in foemina, cuius abdomen inſigniter intumuit, intra paucum tempus decies octies paracentesin inſtitutam fuiſſe, et lympham, quae ſenſim exiit, ultra quingentas et quinquaginta libras ponderaſſe. Decima octaua punctione ſuſcepta, trigeſimo die tunc elapſo, obiit. Corpore aperto, peritonaeum ſcirrhoſum inque eo multas hydatides repererunt, illoque remoto corpus inſolitae magnitudinis, omnia fere viſcera comprimens, deprehenderunt, quod examinatum omentum degeneratum exhibuit.

p. 259. 15) *Deſcriptio Barometri portatilis una cum noua, thermometra conſtantis diuiſionis conſtruendi methodo*, Auctore Cl. I. G. SVLZER.

p. 265. 16) Cl. I. IAC. D' ANNONE *de cancris lapidefactis muſei ſui.* Hic tantum figurae, quas de eiusmodi cancris Cl. Auctor adiecit, explicantur.

p. 276. 17) Cl. ACHILLIS MIEGII *obſeruatio de ſectione caeſarea, feli domeſticae adhibita, quae undecimo poſt id factum die viuum catulum per naturalem uiam adhuc edidit.* Sectione facta tres catulos extraxerunt, vulnus dein conſuentes. Poſtea felem incluſerunt, tuncque decem a ſectione diebus elapſis viuum catulum in carcere deprehenderunt. Iſtam felem aliquoties uterum poſthac geſſiſſe, et, dum haec ſcripta ſunt, incolumem adhuc vixiſſe, Cl. Auctor refert. Ex his varia deducit conſectaria atque primo quidem oſtendit, ſimilem operationem, omni cautione adhibita, nec vitae viribus fractis, et in foeminis quoque pari cum euentu ſuſcipi poſſe, licet felibus vitae pertinaciam prae aliis propriam eſſe, negandum non ſit. Secundo eadem ſectione, uteri ſtructuram aliam quadrupedibus quam hominibus eſſe, probat. In

In his enim iſte ſimplex eſt, in illis autem in duo cornua diuiſus. Cumque unum duntaxat cornu diſſectum hic fuerit, factum hinc quoque eſt, ut viuus dein catulus excluderetur. Hinc tertio demonſtrat, catulum hunc maximam partem vi uteri contractili expulſum fuiſſe; idque eo magis probatur, ſi muſculos poſteriores tunc temporis nondum ſanatos eſſe, perpenderis. Exinde autem Noſter colligit, humanum etiam uterum, ſimili vi praeditum, proprio quoque niſu foetum edere poſſe, licet et mater morti proxima aut mortua iam ſit, vel et abdominis integumenta et muſculi, ſectione caeſarea facta, diſcindantur. Rem hanc vere eueniſſe, obſeruationibus confirmat. Cum denique, felem aliquoties poſthac uterum geſſiſſe, notauerit, inde igitur, cicatricem nec dilatationi nec etiam contractioni uteri obſtitiſſe, colligit, idque pariter in foeminis annotatum eſſe, obſeruationibus iterum confirmat.

18) EIVSDEM *obſeruatio de oſſis bregmatis fractura cum inſigni fiſſura inde per ſuturam ſquamoſam, partem cognominem oſſis temporum atque eiusdem proceſſum petroſum propagata.* Praeter indicata notamus hominem percuſſum ex iunioribus fuiſſe, inde facili negotio, non leuem ei illatam eſſe vim, colligendum eſt. Iunioribus enim nec arida nec adeo fragilia oſſa eſſe, experientia docet. p. 285.

19) *De notabili cranii fractura cum fiſſura ingenti obſeruatio* Cl. IO. LEONHARDI HOFFMANNI. Notatu dignum hic eſt, fracturam per duas ſuturas penetraſſe. Ea enim a centro oſſis parietalis retro per ſuturam ſagittalem tranſiit, et trium digitorum tranſuerſorum longitudine in dextrum os parietale ceu fiſſura proceſſit, inque anteriori parte per ſuturam coronalem ad partem inferiorem et lateralem oſſis frontis uſque ad eius portionem orbitalem pro- p. 290.

greſſa fuit. Licet trepano aliquoties applicato aegrotans melius ſe habuerit, eiusque vita per quatuor ſeptimanas ſeruata fuerit, trepanatione tamen, neceſſaria licet viſa, ultro recuſata tandem periit.

p. 295. 20) *Diarium phyſico-medicum anni* 1755. Cl. IOH. RVDOLPHI ZVINGERI. Hic tempeſtatum ventorumque viciſſitudines, aeris temperiem, morborum catalogum aliaque in macrocoſmo obſeruata phaenomena annotauit; quibus demum morborum tunc temporis regnantium naturam inſimulque medendi methodum appoſuit. Quod ad aeris temperiem ſpectat, menſe Ianuario intenſum, poſt modum paulo remittens, aſt ad Aprilem uſque durans obſeruauit frigus, hoc autem mitius excepit ver, quod aeſtas calida et ſicca hancque demum autumnus nebuloſus, ſub finem paulo pluuioſus ſubſecutus eſt. Morbi qui dicto anno regnarunt, fuere peripneumonia fere epidemica, tuſſis conuulſiua febrisque miliaris, hique morbi ad aeſtatem uſque obſeruati ſunt, ſenſim tamen ſenſimque tunc euaneſcentes. Hos exceperunt febres intermittentes tertianae, diarrhoeae, cholerae ſubque finem anni variolae.

Ad morbos eorumque curationem quod pertinet, horum quemlibet ſeorſim tractauit, atque quicquid in eo obſeruatum fuit, annotauit. Cum autem Cl. Auctorem ubique ſequi nequeamus, non nulla tantum hinc inde decerpere liceat.

p. 302. Febrem miliarem, quae primo deſcribitur, non unam eandemque in omnibus fuiſſe, legimus. Multi enim, quibus puſtulae miliares citius erupuerunt, ſymptomatibus ſenſim miteſcentibus, febreque hinc ſoluta, haud ita diu decubuerunt: Alii, quibus difficilis puſtularum eruptio, ocyus recedens, fuit, niſi plenior ſucceſſerit, ſuccubuerunt; aliisque demum, qui purpura rubra laborarunt, per vices puſtulae erupuerunt, ita, ut in multis bis nec in paucis ter, priori-

prioribus ſemper areſcentibus, procederent. In his morbus ultra quatuor ſeptimanas durauit, ſed mitior ſemper nec ita periculoſus. Regimen temperatum, ptiſanae ex radicibus demulcentibus et blanda alui ſubductio in plurimis bonum effectum praeſtitit. Venae ſectionem non niſi in plethoricis et quidem incipiente malo adhibuit, interdum etiam, ubi in principio nauſea et amaror oris fuit, Radicis Ipecacuanhae grana decem cum aequa i pondere Mercurii dulcis optimo cum effectu exhibuit.

Peripneumonia, quae a Ianuario ad Maium uſque dicti anni durauit, iam circa aequinoctium vernale anni 1754. incepit, et epidemica ſere iuuenibus et viris maxime infenſa fuit. Aſt varius fuit morbi decurſus et exitus. Multi enim adhibitis auxiliis citra notabilem mutationem liberati ſunt, alii difficilius decumbentes ſputo mucoſo cruento, paulatim albicante et facili, una cum ſudore et urina craſſa ſedimentoſa praecedente euaſerunt. In quibus autem morbus acutior velox incrementum cepit, hi ſputo cruento, tuſſi crebra, aeſtu magno, urina flammea debilique pulſu accedente perierunt. In aliis tandem inflammatio in ſuppurationem abiit, hique abſceſſu intra quatuordecim dies ut plurimum maturato et ſputo cruento-purulento reiecto, paulatim reſtituti ſunt. Ex his tamen non nulli ob copiam puris, pectore oppreſſi, ſuccubuerunt. Venae ſectio in principio adminiſtrata et interdum repetita optimam tulit opem, in primis ſi victus tenuis humectans, refrigerans et putredini oppoſitus radicumue lacteſcentium demulcentes ptiſanae adiungerentur. p. 306.

Tuſſis, quae a menſe Ianuario ad Martium uſque durauit, conuulſiua fuit, infantes et pueros in primis infeſtans. Materia, quam ſummo demum nixu reiecerunt, viſcida, tenax, albicans et parca fuit. Haec, nimirum tuſſis, in plurimis rebellis perſtitit, in non nullis tamen remediis, vomitum et aluum p. 310.

cientibus, paululum obediit. Interdum etiam diaphoretica, diuretica et veſicatoria non ſine fructu adhibuerunt. Malum tandem in plerisque tres menſes durans ſenſim remiſit. Cum vero iſtud malum adeo pertinax fuerit, ſequentes ideo a Cl. Auctore moventur quaeſtiones: 1) *An ſanationem accelerarit venae ſectio iterata iuxta Sydenhamum?* 2) *An alui ductio multoties iterata?* 3) *An veſicatoria vertici capitis, nuchae vel ſcapulis applicata?* 4) *An cucurbitulae cum ſcarificatione?* 5) *An vapor aquae vel lactis vel decocti emollientis inſpiratione aſſidua hauſtus?*

p. 312. De febre intermittente nihil eſt, quod moneamus praeter id, quod non nemini ex Florum Salis Ammoniaci martialium drachma una cum mercurii dulcis granis quatuor trita, quatuorue huius remedii doſibus intra biduum ſumtis ſaliuatio oborta ſit, quotidie ingraueſcens, febreque perſeuerante in alteram ſeptimanam excurrens nec alui ductionibus obediens, quae tandem ſponte ſine noxa euanuit. Inde Noſter monet, mercurium cum ſalibus non terendum, ſed, ſi quis mercurium cum ſalibus exhibere velit, ſingula ſeorſim terenda et absque tritura miſcenda eſſe.

p. 314. Diarrhoea, Dyſenteria et Cholera ex benignorum genere fuerunt et in plurimis absque ope medica ſponte, aut lenioribus euacuantibus exhibitis, ceſſarunt. Morbos ſporadicos tunc temporis hinc inde obſeruatos, ne nimis longi ſimus, lubenter omittimus.

p. 321. 21) *Obſeruationes meteorologicas Curiae Rhaetorum habitas una cum variis in eas animaduerſionibus ſiſtit* Cl. IO. HENRICVS LAMBERT. Quicquid nimirum a primo menſis Auguſti 1755. ad ultimum Iulii uſque 1756. obſeruatum fuit, Cl. Auctor appoſuit, inſimulque comparationem obſeruationum iam nunc expoſitarum, cum iis, quas ab anno 1750. ad 1754. Curiae Rhaetorum inſtituit, exhibuit.

22) Cl.

22) Cl. IOANNIS HOFERI *filii obſeruatio monſtri humani.* Prodiit nimirum foetus, per pauca tantum momenta viuus, cui extremitates inferiores fuerunt nullae, ſed abdomen ab umbilico ſenſim gracilius in apicem acutum tandem deſiit. A poſteriori foetus parte eo in loco, ubi in regione lumbari alia propendit appendix, quae mollis, rugoſa et conica ani orificium obtexit, ita ut non niſi ea remota iſtud in conſpectum veniret. Corpore anatomice diſquiſito, nullum partium, generationi dicatarum, veſtigium apparuit et praeter oſſa peluis monſtroſe formata priorem appendicem unum os femoris conſtituit, cui monſtroſum tibiae os adhaeſit. Poſterior appendix nullis fibris muſcularibus praedita maſſam ſponioſam tenui cute tectam repraeſentauit. Monſtrum hoc humanum quatuor iconibus depictum hic deprehendimus. p. 366.

23) EIVSDEM *obſeruatio practica.* Nobilis quaedam foemina, cui circa pubertatis tempus emmenagoga fortia largiter exhibuerunt, ab eo tempore ita debilis euaſit, ut viro poſthac nupta aliquoties abortum pateretur, crebrisque haemorrhagiis uteri aliisque aegritudinibus diu inde laboraret. p. 370.

24) *Commentarius de reptilium quorundam motu progreſſiuo.* Auctore Cl. EMANVELE WEISS. Hic ea, quae de motu lumbricorum terreſtrium, erucarum, geometrae ſcolopendrae et vermis aquatici Cl. Auctor annotauit, deprehendimus. Cum autem deſcriptiones ita comparatae ſint, ut in compendium commode redigi nequeant, breuiſſimis his ſupersedere cogimur. Icones adiectae rem magis illuſtrant. p. 373.

25) *Diſquiſitio deſcriptionis cuiusdam arcus architectonici, ex qua noua eaque facillima geneſis parabolae Apollonianae deducitur.* Auctore Cl. I. WENTZIO. p. 390.

p. 397. 26) *Lethargus cum impotentia loquelae tandem conuulſiuus et lethalis.* Auctore Cl. IOANNE LVDOVICO BVXTORFIO. Morbus, cuius hiſtoria hic traditur, in iuuene ſeptendecim annorum, habitus macilenti, texturae tenerae, litteris aſſidue dedito, caſte alias et ſobrie viuente, obſeruatus fuit.

p. 401. 27) *Obſeruationes meteorologicae Baſileae inſtitutae* a Cl. IO. IACOBO D'ANNONE.

p. 409. 28) *Obſeruationes meteorologicae* in loco *la Ferriere en Erguel* dicto anno 1756. inſtitutae a Cl. ABRAHAMO GAGNEBIN, *ſeniori.*

p. 434. 29) EIVSDEM *obſeruationes de tempore anni* 1756. collectae. Hic tempeſtatum viciſſitudines varia meteora crebrosque terrae motus annotauit, ſimulque morborum breuiſſimis mentionem fecit.

XVI.

In variolarum inoculationem diſſertatio epiſolaris. Auctore FRANCISCO COMITE RONCALLI Parolino. Brixiae, d. 4 Ianuarii. 1759. 4. pag. 11.

Lis de variolarum inſitione inter medicos nondum compoſita eſt, et ab utraque parte etiannum producuntur argumenta, quae et eam defendunt, et eandem pariter impugnant. Iam, quae in manibus noſtris eſt, diſſertatio ad ea ſcripta pertinet, quae inſitioni variolarum aduerſantur. Variis igitur de variolarum ortu, loco natali aliisque praemiſſis, duobus ſtatim exemplis inſitionis periculoſus et ſiniſter euentus illuſtratur, inſimulque quorundam ſententiae cum Cl. Auctoris ſua congruentes adducuntur, atque his demum ipſa a Noſtro prolata ſubnectuntur argumenta. Nititur

Nititur autem Noſtri ſententia ſequentibus fundamentis: Primo pueri temperamentum eo momento, quo inſitio ſuſcipitur, conſiderandum eſt. Id enim tunc temporis vix diſpoſitum eo eſſe videtur. Si autem minus diſpoſitum deprehendatur, quomodo perfecta maturatio et ſuppuratio expectanda venit? Perpendendus deinde eſt cutis etiam habitus. Hic enim ita ſaepe ſe habet, ut multi toto vitae tempore nec ſudores nec maculas nec ulla alia exanthemata experiantur. Fac autem ſuſcipiatur in his inſitio, an expectari puſtularum eruptio tunc denique poteſt? Certe, ſi cutis denſitas, pororum exiguitas idque genus alia impedimento ſunt, nunquam etiam inductum venenum per hanc viam educi poteſt. Ergo remanet miaſma, nec expellitur. Sed niſi expurgetur ſanguis, quomodo is, qui artificialibus variolis laborauit, a recidiuae metu liber eſt? Quis porro promittit, fore, ut morbo tali ſuperato, nemo unquam eo iterum laboret? Teſtatur enim experientia, dari homines bis, ter et ultra variolis correptos. Si autem variolae ſponte obortae poſt primam inuaſionem aliquando redeant, quid de implantatis cogitandum? Nonne hae multo magis reuerti poſſunt? Aſt conſideretur tandem et ipſum pus varioloſum. Eſtne hoc in ſingulis diuerſum, et in humoribus, ſingulo propriis, obortum? Quomodo igitur hoc alius humores eo diſponere valet, ut fauſto cum euentu prorumpant variolae? Peculiares enim pori in ſingulorum hominum ſolidis admittunt tantum propria cuilibet fluida, peculiaris figurae et poris ſolidorum proportionata, ita, ut cum facilitate permeent. Sed, quaeſo, num alius hominis varioloſi pus, intra ipſius corpus maturatum et bonum, eundem et laudabilem quidem effectum producere poteſt in alio? Certe minime videtur. Ergo haeret iſtud in pororum anguſtia et ulcera rebellia poſt variolas relinquit. Sed non deſunt et aliae rationes. Quaeritur nimirum,

num omnes, quibus excitantur variolae, vita eu-dant et ſalui ſoſpitesque dein maneant? Sin minus, quaeſtio ultra mouetur, num ii, qui variolis arte ex-citatis ſuccumbunt, his intermiſſis et variolis ſponte prodeuntibus defuncti pariter eſſent? Vix quisquam affirmare audet. Ergo occidere licitum eſt? Quae-ritur porro, num certior ſit medicus, eos, quibus va-riolae excitantur, nunquam hoc morbo laboraſſe? Nonne experientia docet, multos decumbere, ſym-ptomatibus varioloſis correptos, absque eo, ut pu-ſtulae in cute appareant? Et certe multi tunc, haec perpeſſi, toto dein vitae tempore absque variolis li-beri viuunt. Quis autem inter vulgus haec cognita habet, quisque ideo medicum de tali ſtatu certiorem reddere poteſt? Sed ſufficiant haec. Primaria enim momenta adducere, libuit. An itaque Noſtri argu-menta omnibus facile perſuadeant, affirmare vix un-quam poſſumus, incertum pariter iudicantes, utrum id, quod praeſagire Noſter non dubitauit, aliquando eueniat. Eandem enim, quae chirurgiae infuſoriae fuit, et variolarum inſitioni, pari adhuc paſſu ambu-lanti, ſortem fore, arbitratur.

XVII.

Diſſ. inaugur. de Nectariis Florum. Praeſide GEORG. RVDOLPH. BOEHMERO, Anat. et Bot. Prof. Reſp. *Ioanne Friderico Meiſner.* Witteb. 1758. 4. pl. 6.

p. 3. Ad accidentales, nihilominus tamen neceſſarias florum partes nectaria refert Auctor, quae ve-teribus forte incognita, ad minimum non accurate nota, plerumque pro petalis habita, a MALPIGHIO in Corona Imperiali et Ranunculo bene deſcripta, at recentiſſimo demum tempore plenius expoſita fuere. Ill. LINNAEVS enim huius ornamenti floralis pre-ſentiam,

sentiam, formam, figuram, situmque imo adaequatum nomen et usum primus docuit, hinc et inuenti huius gloriam eidem iure tribuendam esse, monet. Illam itaque floris partem accidentalem, ubi humor transudat et colligitur unctuosus, mira dulcedine praeditus, nectarium adpellatur, idque nomen optimum esse, ex nectaris varia significatione probare studet. Cum vero a nectare contento receptaculum dictum fuerit nectarium, illas floris partes, quae quandoque pro talibus assumuntur, ideo, quoniam melleo succo carent eodem nomine haud insigniendas esse monet, licet LINNAEVS aliique omnia ornamenta, quae praeter communes florum partes aliquando inueniuntur, nectarii titulo ut plurimum insigniuerint. Nec succus ille solus ad determinandum nectarium sufficit; sunt enim non nulli monopetali flores in quorum tubo eiusmodi continetur fluidum, nullo singulari receptaculo vel nectario praesente; quod Cacti, Cardui, Aloes et Periclymeni in primis exemplo illustratur. Hinc nectarium tunc modo adsumit Cl. Auctor, ubi vel peculiaris adest petalorum ad recipiendum succum apta figura, vel singulare et a reliquis florum partibus diuersum existit corpus, unum vel plura, certo tempore melleo succo repleta. Certo tempore dicit: cum et in veris nectariis non semper adsit ille liquor, et ante secretionem existat corpus, et dum suo munere functum secessit nectar, idem remaneat. Floribus etiam nectaria modo tribuit, et quae in foliis eorumque petiolis et f. p. non nunquam inueniuntur singularia corpora, humorem continentia, ut in Marggrauia, Nepenthe, Vtricularia etc. potius glandularum vel alio adaequato nomine insignienda, et non tam structura, quam loco, maxime a nectariis diuersa esse monet. Vt autem nectariorum varia accidentia externa, figura, magnitudo, numerus, situs et quae reliqua eo melius cognoscantur, veraque a falsis separentur,

parentur, plantas omnes, in quibus nectarii receptaculum adſumſit LINNAEVS, recenſuit, et hinc
p. 10. inde ſuas obſeruationes addidit. Ex quo catalogo patet, centum et triginta eſſe plantarum genera, quibus nectarium tribuit LINNAEVS. Cl. autem Auctor veris nectariis inſtructa ſexaginta modo genera retinuit, dum viginti quinque numerat plantas, quibus falſo nectarium adſcriptum fuit, et triginta ſex, de quibus adhuc dubitat, an vere eiusmodi poſſideant, cum vel nullum ibidem ſuccum, vel ſuccum quidem, aſt nullum ſingulare receptaculum inuenire, vel denique Auctorum diſſenſum, plantis ipſis deſtitutus, non conciliare potuit. Falſorum et dubiorum catalogum annectere liceat. Amomi, Coſti et Curcumae nectarium laciniarum corollae auctum numerum dixit; Linea longitudinalis villoſa in Iride de nectare non madida eſt, et ſi in Iride aſſumendum eſſet nectarium, etiam aliis, quarum corolla barbata eſt, idem non foret denegandum. In Commelina imperfectae quaſi antherae nectaria dicta fuere, viditque Cl. Auctor veram antheram in bifurcatas appendices mutatam. In Plumbagine, Campanula, Roella, Aſphodelo et Harmala valuulae illae nectariferae ſunt inferiores ſtaminum partes latiores, introrſumque flexae. Id in aliis ut Alkekengi flore violaceo, Polemonio etc. quoque obſeruauit, in quibus vero nullum nectarium adſumſit LINNAEVS. In mirabili corollae potius partem eſſe, tubumque eius baſin ventricoſo globoſam, fere ut in Ariſtolochia, conſtituere aſſerit. In Achyrante et Celoſia marginem ouarium cingentem ex ſtaminum filamentis, inferne coalitis, oriri, in Galantho vero petalorum naturam habere, in Narciſſo et Pancratio coronam, in medio ſitam, a CAESALPINO acetabulum, ab aliis forte comam adpellatam, nunquam nectar continere, ac in Siliquaſtro baſin calicis, ſtaminibus tectam, ſemper ſiccam ſe inueniſſe aſſerit.

Stami-

Staminum filamenta, intime unita tubum in Azedarach conſtituere, VAILLANTIVS adſumſit, idemque Auctor ſtatuit, in primis, cum tubum diuiſum cum imminutione antherarum in petala abiiſſe obſeruauerit. Silenes denticuli ad alia ornamenta florum modo pertinere, vel exinde patere ſcribit, quia ipſe LINNAEVS Myoſotidi, Bugloſſo et ſ. p. nulla nectaria adſcripſerit, licet faux in iisdem ſquamulis clauſa iuueniatur. In Cherleria nectaria, ungues HALLERO dicta, vera petala eſſe credit. Species Cleomes forte non omnes inter ſe conuenire, notat, dum HALLERVS in una modo ſpecie tres globulos ſpongioſos deſcripſerit, et Cl. Auctor in illa floribus gynandris foliis digitatis nullas reperire glandulas, ſed intra petalorum ungues guttulas modo tot, quot ſunt petala, vel etiam plures inuenire potuerit. Petalorum ungues in Hermannia tubi quidem ſpeciem, ſed non officium nectarii habere contendit, et in aliis floribus ut Acriuiolae, ſimilem figuram animaduertit, quibus LINNAEVS nullum tribuit nectarium. Setarum coronam in Granadilla nectarii nomine haud inſigniendam, et ſi truncata membrana in Marucuia verum ſit nectarium, genere eandem ſeparandam eſſe ſcribit. Filamenta cirroſa e ſpadice Ari egredientia, ſtamina imperfecta vel alia ornamenta, in Mercuriali vero femina vere ſtaminum filamenta ſterilia eſſe affirmat. Anthoxanthum, Olax, Auena, Hamamelis, Cuſcuta, Dioſma, Sauuageſia, Nerium, Gomphrena, Staphylaea, Ananas, Oryza, Cardioſpermum, Laurus, Fabago, Kalmia, Gaultheria, Cluſia, Cacao, Helicteris, Grewia, Mays, Carex, Phyllanthus, Vrtica, Cupreſſus, Andrachne, Valliſneria, Salix, Oſyris, Tamnus, Ruſcus, Clutia, Muſa, Ophioxylon, Gleditſchia plantae ſunt, quarum nectaria dubiis adnumerauit Auctor. Deſcriptis ita variis plantarum nectariis, hanc partem maximi momenti, hinc a botanicis ſedulo conſide-

randam

randam esse, docet; cognoscuntur enim ex illis, nec
mo constituuntur facile plantarum genera, quod Ra
nunculi, Hellebori, Penthori hisque affinium plan
tarum exemplo comprobauit, magnam porro sedi
mationem inde acceperunt, quod non tam frequen
ter et facile mutentur, tandemque virium medicatr
rum forte indicem et signum exhibeant; attamen a
LINNAEO sancitam regulam: plantas, quarum flo
res nectariis, a petalis separatis gaudent vulgo ve
nenatas esse, exemplo Hellebori, Aquilegiae, An
p. 34. thorae, Ranunculi etc. limitauit. Flores vero ne
ctaria non modo ut ornamentum vel ut characterem
genericum acceperunt, sed singulari quoque prae
sunt muneri, dum melleum succum continent, il
lumque praeparant et secernunt. Non enim ex aere
vel rore, ut veteres crediderunt, deriuari debet hic
succus, cum Cl. Auctor obseruauerit, flores etiam
vasculis inclusos vel in hypocaustis asseruatos eiusmo
di ostendere materiam; apes etiam non modo dum
roscidi sunt flores, sed et dum dies feruet, melleum
succum colligere, immo in non nullis floribus adi
tum rori ad nectaria, dum tecta quandoque sunt et
inuoluta, minime patere; Praeter ea et colorem et
saporem nectaris mellisque varium, ac diuersas ho
rum virtutes, dum vel salutares vel venenatae sunt,
sententiae suae robur addere, tandemque in nectario
rum, cum reliquis florum partibus analogicam stru
cturam plenius eandem docere concludit, et organa
secretoria ac perspirabilia dici, ac glandulis, follicu
p. 37. losis in primis, comparari debere, affirmat. Chymi
cum quoque nectaris et mellis examen vegetabilis
prosapiae esse demonstrat; et licet experimenta, cum
nectaris succo instituta, fere desiderentur, tamen ex
Diario Francofurtano, quod, ut nunc compertum
habemus, Cl. CARTHEVSERVS edidit, qui etiam
Tractationis, ab Auctore saepius citatae, de nectario
succo, Auctor existit, nectaris in Melianthi floribus

praesen-

praeſentis ſolutionem in aqua et ſpiritu vini optime ſuccedere, ſuccumque hunc cum parciori aquae copia remixtum, oleorum aethereorum ſolutionem efficere adduxit, easdemque ſaponaceas et olea deſtillata menſtrui inſtar ſoluentes particulas in nectareo liquore Periclymeni Virginiani ipſe cognouit, et dum mel florum ſit nectar, quod fere ſine ulla praeparatione ab apibus colligitur, conuenientia haec ratione mixtionis euidenter pateſcit. Non vero primarium uſum nectariorum nectarisque ſucci in melle conficiendi Auctor aſſumſit, ſed eſſentialem in flore vel fructu quaerendum eſſe, contra aliorum opinionem defendit. In fructu PONTEDERA et BLAIRIVS utilitatem huius ſucci adſumſerunt, dum ad prioris aſſerta, liquore illo futuri fructus rudimentum molle ſeruatur, faciliusque extendatur, immo in non nullis, quorum calcara habent flores, nutriatur. BLAIRIVS vero foecundantem antherarum puluerem in nectarium incidere, et mediante nectario ſucco ad ouarium peruenire, ſtatuit. Quam hypotheſin nunquam nec veritatem nec probabilitatem obtinere poſſe, adductisque a Cl. BOSSECKIO in Diſſ. de Antheris florum rationibus ſufficienter deſtructam eſſe, concedit BOEHMERVS; PONTEDERAE vero ſententiam ſtudioſius diſquiſiuit, quae ad infringendam hanc coniecturam in Diario Francofurtano adducuntur rationes, et ſobrie examinauit, et, ut nobis videtur, bene refutauit, tandemque concludit, cum omnes floris partes ad communem uſum conſpirent, et propter fructum adſint, humoresque in diuerſis florum partibus ideo mutentur et praeparentur, ut in foecunditatem et nutrimentum embryonis poſſint impendi, omnino nectarium humorem easdem exercere utilitates, licet determinari haud poſſit, an ipſum praebeat nutrimentum, an vero potius ſeparetur ideo, quo reliqua humorum maſſa aliam mixtionem atque virtutem accipiat, et, ut LVDWIGIVS

p. 42.

putat,

putat, per haec organa ſpiſſiores ſucci, humoris ſubtilioris motum in vaſis impedientes ſecernantur et expellantur.

XVIII.

GEORGII RVDOLPHI BOEHMERI Progr. De ornamentis, quae praeter nectaria in floribus reperiuntur. Witteb. 1758. 4. pl. 2.

Minima in corporibus naturalibus, et vegetabilibus in primis, ſpectanda et admiranda eſſe, dum in genere monuit, ſpeciatim exigua illa ornamenta, quae praeter conſuetas floris partes et nectaria adſunt, et ad cognoſcenda ac conſtituenda plantarum genera, a recentioribus adhibentur, ſedulo annotauit, et cum phyſicus eorundem uſus nondum innotuerit, botanicam eorundem diſquiſitionem inſtituit, omnesque fere plantas, quae eiusmodi accеſſorias partes oſtendunt, recenſuit. Ex hac tractatione, quae ratione generum conſtituendorum monuit Cl. Auctor, annotemus. In mono- et pentapetalis ſquamulas illas, faucem corollae ambientes, non eandem aeſtimationem in definiendis generibus accepiſſe, et quandoque ab iisdem eſſentialem genericam notam deſumptam, quandoque vero in definiendo genere neglectam et nec ad ſpecies determinandas adhibitum fuiſſe, variis exemplis comprobauit. Faucem nudam peruiamque in Cerinthe pro eſſentiali charactere aſſumſit LINNAEVS, in Lycopſi, Heliotropio et Borragine negligitur idem. In Aretiae genere conſtituendo et ab Androſace ſeparando ad glandulas, in tubo corollae haerentes, bene reſpexit HALLERVS, rectеque ALLIONIVS Vitalianae genus propter hanc notam Aretiae ſpeciem eſſe, affirmauit. In Lychnidis familia tubum corollae nunc denticulis decem ornatum, nunc nudum deprehendimus.

Hinc

Hinc LINNAEVS quondam Coronariae et Lychnidi eiusmodi ornamenta tribuit, Agroſtema vero et Silene iisdem deſtituuntur. In noua vero generum editione Cucubalo corollam denticulis coronatam tribuit, eoque charactere a Silene differre ſcribit; in illis autem, quae Agroſtema et Lychnis dicuntur, ad haec ornamenta non reſpexit, et in utroque, ut et in Saponaria, ſpecies recenſuit, quarum petala et coronata, et denticulis deſtituta. Quae cum ita ſint, Cl. Auctor aut Cucubalum cum Silene coniungendum, non obſtante corollae corona, aut in Lychnide et Agroſtema ad eandem notam reſpiciendum, ſpeciesque coronatas ab aliis, quae petala nuda gerunt, ſollicite diſtinguendas, et cum ſumma ornamentorum in his generibus varietas inueniatur, eadem negligenda, et Lychnidis familiam in duo tantum genera diſtribuenda eſſe, exiſtimat, ea ratione, ut Cucubuli ſpecies ſint, quae tres ſtylos capſulamque trilocularem habent, Lychnidi autem ſtyli quinque et capſula unilocularis tribuatur. Ziziphus, Frangula, Paliurus, Rhamnus ſquamulas ad ſegmenta corolla oſtendunt, quae in Alaterno deficiunt, nihilominus haec genera coniunxit LINNAEVS. Aſt alaternum vel propter hanc notam ſeparandam eſſe putat Auctor, in primis cum ſquamulae illae ipſa ſint forte petala, id autem inuolucrum corolla dictum, calicis nomine ſit inſigniendum. Biſtorta, Perſicaria, Fagopyrum atque Polygonum confinia ſunt genera, et niſi ad glandulas, in fundo calicis ſitas reſpiciamus, nullum aderit diſtinctionis fundamentum. Hinc et LINNAEVS quondam ad easdem reſpexit, et pro Fagopyri genere conſtituendo adhibuit; Poſtea vero aſſumtum antea fundamentum neglexit, omniaque haec genera coniunxit. Aſt non tam parui momenti eſſe haec, licet exigua, corpuſcula, eaque characterem genericum diſtinctiuum praebere, iam in Flora Lipſienſ. noſter Auctor, et poſt eum ALLIONIVS,

LINNIVS ac ipſe HALLERVS affirmarunt, continuatoque examine cognouit, optime ex his, cum reliquae partes varient, Fagopyri genus definiendum, tria autem reliqua coniungenda eſſe. In Viburno Opulo, Tino atque Sambuco loco ſtyli glandulam turbinatam deſcripſit LINNAEVS, et hinc tria priora genera coniunxit, Sambucum vero propter tria ſemina, in bacca contenta, corollamque rotatam ſeparauit. Verum cum ad eiusmodi differentias alias non reſpexit, et plantas fructu diuerſas ſaepe combinauit, Sambucus etiam reliquis addi debuiſſet, cum glandula maioris momenti ſit, quam numerus ſeminum corollaeque figura. Attamen glandulam eandem inuenire non potuit, ſtylumque modo craſſiorem adeſſe vidit Cl. Auctor, ideoque nullum coniunctionis praebere fundamentum aſſerit; et cum in opulo flores, radium corymbi occupantes ſteriles ſint, amplioremque reliquis ambitum obtineant, ſingulare hoc genus conſeruandum, nec non Sambucum propter notatam differentiam diſtinguendam, Viburnum autem et Tinum coniungendas eſſe, exiſtimat. Plura de his ornamentis, quae in calice, corolla, ſtaminibus atque piſtillo inueniuntur, in ipſa commentatione adducuntur exempla.

XIX.

Diſſertatio, de characteribus foſſilium externis. Praeſide M. IOANNE CAROLO GEHLER, Reſp. *Chriſtiano Friderico Kadelbach.* Lipſiae, 1757. 4. pl. 5. tab. aen. 1.

Quae in reliquis naturae regnis tanta praeſtiterunt commoda notae externae, in foſſilium diſquiſitione fere ab omnibus fuerunt reiectae. Quibus cum contrarietur Cl. Auctor, in his paucis plagulis ſua ſenſa exprimere, et nullam, niſi ab iis, quae in corporum

corporum ſuperficie deprehenduntur, characteribus, conditam methodum, hiſtoricae mineralium rerum cognitioni aptam eſſe demonſtrare annititur. Praemiſſis itaque iis, quae ad definitionem ac differentiam corporum naturalium ſpectant et a variis auctoribus p. 5. fuerunt tradita, breuibus regnorum naturae veram diuiſionem explicat, monſtratque ſuperfluam eſſe eorum operam, qui de aqueo, aereo ac igneo regno conſtituendo cogitant, cum quoduis horum non ut corpus naturale, ſed ut primum principium omnium corporum ſit conſiderandum. Nec tamen ſatis aptus p. 8. nobis videtur, quem ad mineralia ab aliis diſcernenda adtulit, character, quod nempe animalibus et plantis una eademque ſemper competat forma, quae vero foſſilibus non ſemper eadem ſit, cui aſſerto omnes cryſtalliſati lapides contradicunt. Placet Auctori prae reliquis, quibus inſigniri ſolet regnum hocce, nominibus, illud foſſilis regni, quamuis et hoc non omnia eius corpora deprehendere, nitrum embryonatum ſua ſententia teſtetur. Recentiorum plures, cum veterum deſcriptiones plus obſcuritatis, quam lucis huic doctrinae affuderint, de ſyſtemate concinnando cogitarunt, cuius alii tantum partem quandam, alii omnem apparatum redigere in ordinem tentarunt, quorum ſcriptorum catalogum Cl. Auctor recenſet. Licet autem ob defectum organi- p. 11. carum partium in foſſilibus diſponendis maxima deliteſcat difficultas, dari tamen characteres omnino p. 14. diſtinctiuos in corporum externo habitu, ex ea, quam ſibi acquirunt metallicolae, lapides cognoſcendi facultate probari poſſe putat. Eſt cuilibet ſuus finis ſcopusque varius, quem ſibi in colligendis diiudicandisque foſſilibus proponit, hinc naſcitur ea cognitionis foſſilium differentia, qua alius mineralia ut mixta, alius ut aggregata conſiderat, et vel ad chemiam, vel ad hiſtoriam naturalem, vel ad rem medicam oeconomicamque applicat. Nec tamen negandum

erit omnium harum diſquiſitionum fundamentum eſſe hiſtoricam cognitionem. Quae ergo a chemicis conduntur methodi, vix ad hiſtoriam naturalem adhibendae, ſed potius allaborandum, ut, quae a quibusdam, quos adfert, prolata vel adumbrata exſtant, ſyſtemata, perficiantur ulteriusque excolantur. Nec tamen ex aſſe conſentimus cum Cl. Auctore, cum nullum lapidem per ſe ac ſine addito ſale, Cl. dan. THEVSERI auctoritate deceptus, liquidum fieri affirmet; eſt enim in baruthinis regionibus ardeſia quaedam ſpecies, quae leui ſatis ignis gradu liquefit, ut Cl. POTTIVS * iam notauit, et nosmet ipſi vidimus. Vt autem facilis via ad condendam foſſilium methodum efficiatur, omnes nunc characteres, qui ſenſibus detegi poſſunt, paulo curatius examinat, ut, quid quilibet commodi praeſtet, facilius perſpici queat. Odor ad methodum nihil valet, quamuis ſint quaedam glebae, quae vel per ſe, ut *iolithus*, vel attritae, ut *lapis ſuillus*, vel igni expoſitae, ut *ſuctinus*, *cobaltum* cet. odorem ſpargant. Idem de auditu monet, licet contrariari videantur *aetites*, *tinnientiumque* ſpecies. Sapor detegit in foſſilibus varia, et in conſtituendis ſalium generibus praecipuum praeſtat officium. Quae tactus diſtinguit in foſſilibus haud parui aeſtimanda, ut videre eſt ex ſplendido Muſeo Terrarum a Cl. LVDWIGIO deſcripto. Maximi tamen momenti erunt notae, quas viſus eruit, quarum prima color eſt foſſilium. Et magnitudo ſedesque poſſunt exhibere quasdam notas, cum alii lapides totos efficiant montes montiumque tractus, alii contra non niſi in parua ſatis mole diſperſa iaceant ubique, alii ſub dio, ut aiunt, in fragmentis, alii in venis ſaxorumque commiſſuris occurrant. Nec omni deſtituitur uſu grauitas ſpecifica, quae potiſſimum ad ordinandam metallorum cohortem adhibenda erit. Deprehenduntur foſſilium varia ductilia malleabilia-

p. 17.

p. 20.

p. 22.

p. 25.

que,

* vid. *Fortſetzung der* Lithogeognoſie. p. 55.

que, cum alia refractaria ſint nec extendi ſeſe patiantur. Varie ſe habent glebae ſubterraneae ad lucis radios, ita aliae transmittunt eos, et pellucidae ſunt, aliae vel obſcure pellucent, quas ſemipellucidas dicimus, aliae opacae prorſus nihil lucis transmittunt. Mirum quantum differunt in raritate ac denſitate, v. c. *pumex* et *achates*, in mollitie ac duritie ut *tophus* et *cryſtallus*: quae differentia optime cognoſcitur, ſi cum chalybe fricantur, ubi illae nullas, hae vero magnam ſcintillarum copiam fundunt. Maximum vero, p. 29. quod lapides diſcernit, momentum Cl. Auctori poſitum videtur in forma lapidum ac figura. Diſtinguit commode eam in externam, quam in limitibus extenſionis ponit, et internam, quam texturam ſiue ſtructuram vocat, et a ſitu particularum earumque ad ſe relationem dependere aſſerit. Multae ſatis occurrunt glebae, quae ſuas notas in figura externa gerunt. *Cryſtallos montanas*, *topazium* cet. allegat. quem tamen ultimum falſo cubicae figurae dicit, cum orientales aeque ac noſtrates octohedro-priſmaticam formam monſtrent. *Pyrites*, *figurati lapides*, *graptolithi*, *petrefactaque* omnia ſatis commodas in ſua figura exhibent diſtinctionis notas. Ab aggregatione vero orta differentia multo plus valet ad methodum condendam, cum glebarum aliae ſint granulatae, filamentoſae aliae, aliae lamelloſae, cruſtaceae e. ſ. p. quas notas iam omnium primus attendit CONR. GESNER, poſt eum WOODWARD, variique recentiorum HAVSENIVS, CARTHEVSERVS alii perfecerunt et aptas methodos inde conſtruxerunt. Com- p. 32. miſſuram, quae eſt locus in ſuperficie extenſa, in quo fit ope cunei facillima partium ſeparatio, et ad quem ſub malleo corporis partes diſſiliunt, Cl HAVSEN ad ſyſtema conficiendum adhibuit. Optimum huius conditionis exemplum praebent *ſal gemmae* et *galena plumbi*. Quamuis vero haec omnia ſatis euidenter in foſſilibus deprehendantur, non tamen ſuf-

ficiunt nec ſingula nec ſimul ſumta, ad ordinandam ſupellectilem lapideam, hinc non alienum duxit Cl. Auctor attendere eas, quae ab aliis corporibus phyſicis in foſſilibus producuntur mutationes; cuius generis ſunt aeris acceſſus, qui in *pyritae* ſuperficie vitriolum, in *cobalti* lanuginem pallide rubram generat; *magnes* ferri particulas in glebis latitantes prodit; *electrum* res leues adducit; *turmalinus*, dum calet, cineres attrahit; acida lapidibus adſperſa calcream eorum indolem per efferueſcentiam detegunt. Quibus iure et ignem annumerandum nos putamus, non quidem eum, quo chemicus ad mixtiones deſtruendas utitur, ſed leuidenſia tantum experimenta igne ope inſtituenda, quorum e numero ſufficiat unum allegaſſe, ſcilicet *fluores coloratos* carbonibus ardentibus iniectos luminoſos ſpargere radios, quod phoſphoreſcere phyſici dicunt. Sub fine tandem iure monet p. 35. in quauis methodo hiſtorica *mineras* non ad metallorum claſſem eſſe referendas, ſed potius in eam lapidum ſuſcipiendas. Vt enim botanici non a virtute plantarum ſiue earum principiis conſtitutiuis conſtruunt ſyſtema, ſic et in regno foſſili non ex eduſtis, ſed ex characteribus externis diiudicetur quaelibet gleba. Coronidem imponit huic ſpecimini promiſſum, fore, ut ex his, quae adduxit Cl. Auctor, olim quoddam ſyſtema condat, ut diſputatorum utilitatem in ipſo exemplo oſtendere poſſit. Addita tabula aenea duas ſiſtit Echinitarum rariores varietates, quarum una Echinoconitam quatuor ſtriis ſiue ſuturis notatum, altera Echinodiſcum ſex radiis inſignitum praeſentat, cuius poſterioris exemplum iam KLEINIVS ſub nomine globuli Tesdorpſii deſcripſit.

XX.

XX.

Noua phyſico-medica.

Regia Scientiarum Societas *Gottingenſis* in nouiſſimo, die ſeptimo menſis Iulii celebrato, conuentu praemium, quod eo tempore ab ipſa tribui ſolet, exhibendi caruit opportunitate. *Num uſitata materie vilius detur aliquod remedium, ex quo funiculi funesque maiores nautici confici poſſent, qui fortiores eſſent, durarentque diutius illis, quos vulgari ratione contorquere ſoleant reſtiones?* ab Illuſtri illa Societate quaeſitum fuerat *. Argumentum primo quidem intuitu vile modo viſum, ex variis autem rationibus graue omnino dicendum, ex voluntate Ill. Societatis non fuit excuſſum; licet non nulli de eo ipſi exhibiti fuerint commentarii: quapropter nemini adiudicare illa potuit praemium: neque nunc eſſe putat, cur denuo iſtam proponat quaeſtionem?

Apud *Berolinenſem* porro Regiam Scientiarum Academiam idem quoque accidit, quod de Gottingenſi iamiam retulimus. Commentarii enim *de arſenici natura* conſcripti, cuius argumentum duplici iam vice propoſitum fuerat expectando praemio **, nondum ſatis fecerunt Academiae expectationi atque voluntati. Itaque in publico conuentu, die triceſimo primo menſis iulii habito, declarauit Academia, terminum, quo diiudicari debeant ad ipſam ideo miſſae commentationes, dilatum adhuc ſe velle ad exitum huius, quem agimus, anni 1759, ita, ut ſub initium proxime ſubſecuturi anni eas diiudicet, num inter eas aliqua ſit, quae praemio digna cenſeri poſſit?

* Comment. noſtr. Vol. V. P. IV. p. 722.

** ibid. Vol. IV. P. III. p. 549. Vol. VI. P. III. p. 543.

Insuper eodem tempore Ill. iam commemorata Academia nouam ex philosophia experimentali desumtam exhibuit quaestionem: *Num omnia nimirum entia, quae vita fruuntur, tum ad animale cum ad vegetabile regnum pertinentia, ex ouo per germen foecundato? an ex aliqua materie, generationi apta ipsique germini simili oriantur?* Cuilibet in hoc argumentum inquisituro liberam relinquit Academia sententiam, utri ex iam dictis hypothesibus adsentiri velit. Germinis vocem in latissimo nec ab omnibus viris doctis, naturalium rerum caussas indagantibus, recepto sensu hic loci ab Academia adsumi apparet: verbis tamen ipsius Academiae uti, quam aliis clarioribus quidem forte visis, mentem ipsius exprimere malumus.

Londini a Regio Medicorum Collegio ibidem florente in sociorum numerum receptus nuper fuit Cl. D'ESCHERNY, Med. D. affinitate cum celebri illa *Stephensia* coniunctus, quem honorem tractatu, *de calculo* remediisque famosis Stephensianis ante tres annos edito*, promereri ipsi visus fuit.

Norimbergae nuper diem suum obiit supremum Vir de historia naturali insigniter promeritus, AVGVSTVS IOANNES ROESEL cognomine VON ROSENHOF dictus, qui ex artifice naturam linearum ductu et colorum elegantia imitante et exprimente accuratissimus ipse factus fuit naturae indagator, cuius rei testimonia praebent eximia ab ipso edita opera, suo tempore a nobis, uti merentur, laudata**, quam ob rem dignissimum omnino iudicamus, cuius memoriam posteris commendemus, vitae ipsius rationem proxime uberius indicaturi.

Hambur.

* ibid. Vol. V. P. III. p. 566.

** ibid. Vol. II. P. I. p. 85., Vol. IV. P. II. p. 215. Vol. VII. P. II. p. 282.

Hamburgenſis quoque ciuitas luget mortem Viri de ipſa meritiſſimi, PETRI CARPSERI, chirurgi peritiſſimi atque dexterrimi, nuperrime die octauo menſis iulii Hamburgi e viuis erepti. Arte ſua, ſcientia, morumque dulcedine atque ſuauitate, liberalitate omnibusque inſeruiendi ſtudio non apud ciues ſolum, ſed exteros quoque, multum ſibi conciliauerat famae atque gratiae. Sexaginta annorum aetatem attingens quidem, prorſus tamen non expleuit, anno nimirum ſuperioris ſeculi nonageſimo nono die viceſimo ſecundo menſis decembris natus.

Memoria GEORGII ERHARDI HAMBERGERI, Phil. et Med. D. Phyſices, Chemiae et Praxeos Prof. Publ. Ordinar. Sereniſſ. Ducum Saxoniae Stirpis Erneſtinae Conſil. Aul. Caeſ. Acad. Nat. Cur. Socii, Medici Prouincialis Ienenſis, Facultatis Medicae Senioris.

Diu iam GEORGII ERHARDI HAMBERGERI vitam deſcribere debuimus; diu id expectant multi: Forſitan ideo haud pauci ſunt, qui de noſtro ſilentio non leui afficiantur admiratione. Sed quomodo, quaeſumus, exactam vitae deſcriptionem tradere poſſemus, niſi de praecipuis rerum affectionibus ſatis antehac inſtrueremur. Ex quo enim deceſſit Cl. iſte Vir, omnem, ut harum rerum compotes eſſemus, operam dedimus, ipſosque adeo haeredes, quorum quippe ope optima ſuppeditari poſſent adminicula, rogauimus. Sed voti noſtri nos nondum participes eſſe, percepimus. Euoluimus itaque deſcriptiones, quas de Medicorum vitis dedit Cl. BOERNER,* euoluimus in ſuper elogia,

* vid. Ei. *Nachrichten von den Lebens-Umſtaenden jezt lebender Aerzte. 1 Band, 1 Stück.* p. 60. *Wolfenbüt.* 1749. 8.

gia*, HAMBERGERO dicata, perlegimus ea, omnia-
que autem ita comparata deprehendimus, ut scopo
noſtro minus ſatisfacere viderentur. Ne vero diutius
cunctantes, culpa licet a nobis procul ſit, in huius
ſuſpicionem incidamus, id iam perficere ſtudebimus,
quod peractum a nobis iam multo ante, eſſe, vellemus. Atque forſan et nunc lectorum expectationi
ni minus ſatisfacere poſſemus, niſi aliqua data
ta nobis eſſet occaſio. Ob oculos nimirum eſt libellus **, in quo vita et fata b. iſtius viri exponuntur,
cuius quidem recenſionem exhibere animus non eſt,
id tamen eius ope perficere annitimur, quod diu expectant multi, diu optauimus ipſi. Ex hoc igitur
fonte vitae laudabiliter tranſactae noſtra promanat
deſcriptio, ſollicite tamen cauendo, ne minimo verbulo controuerſias, in memorato libro recoctas, tangamus. Cum enim clare perſpectum habeamus, Cl.
Auctorem eius in medicorum ſcholis educatum non
eſſe, huncque eundem, controuerſias recenſendo,
in partes HAMBERGERI abire, eas igitur, in primis cum beati iſtius Viri partes tenere, datum nobis in hoc caſu non ſit, illas inquam controuerſias
reticere potius, quam commemorare conſultum ducimus. Sed ad vitam nunc enarrandam nos accingimus.

Natus

* vid. Nou. Act. Academ. Caeſar. Natur. Curioſor.
Tom. I. Append. p. 281. Norimberg. 1757. 4 et
Act. Academ. Moguntin. pag. 26. Erford. et Goth.
1757. 8.

** *Das Leben des Herrn Hofraths und Profeſſors* GEORG
ERHARD HAMBERGERS, *nebſt einer Nachricht von
ſeinen Schriften und gelehrten Streitigkeiten, von*
IOHANN CHRISTIAN BLASCHE, *der Weltweisheit Doctor, der philoſophiſchen Facultaet Adjuncto,
Rector der Rathsſchule zu Iena, und Mitglied der deutſchen und lateiniſchen Geſellſchaft. Iena, bey* Theodor Wilhelm Ernſt Güth. 1758. 8.

Natus est HAMBERGERVS Ienae die vicesimo primo decembris anno millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo, patre GEORGIO ALBERTO, Matheseos ibidem et Physices Professore Publico Ordinario, matre vero SOPHIA CATHARINA ex gente SPITZIA. Litteras, quas primas vocant, Ei SIDELIVS et ANDREAS SAMVEL GESNER tradiderunt; ipse vero pater tunc temporis prima geometricae et arithmeticae artis fundamenta iecit. Cum a teneris iam annis magnus erga studia Ei fuerit amor, et insignis praesertim medicam artem addiscendi cupiditas, factum inde etiam est, ut clam saepe suis subterfugiens ceu puer anatomicis SLEVOGTII demonstrationibus interesset, eodemque tempore, Academiae hortulano adiuuante, plantas quoad figuram et nomen familiares sibi redderet. Anno millesimo septingentesimo decimo quarto, decimum septimum aetatis suae tunc agens litterisque, eruditorum generi olim profuturis, sat imbutus in palaestram academicam se contulit, statimque a patre matheſin et physicen accepit, in caeteris philosophiae disciplinis APOSNERO et SYRBIO formatus. Ita autem ingenitus ei erga mathematica studia fuit amor, ut ceu iuuenis multos ea antecelleret, et difficiliora horum problemata resoluere iam cum promtitudine calleret. Vnicum sane huius rei documentum lectores nostros conuincere poterit. Accidit nimirum, ut quidam una cum HAMBERGERO, litteris quidem dediti, aetate tamen prouectiores, hunc ipsum rogarent, vellet eis in matheſi inque eius explicandis disciplinis doctorem se praebere, ad quod officium explendum paratissimus statim fuit, forte diu iam occasionem hanc optans. Verum pater id percipiens ad se vocauit filium, huncque monuit dicens, num sciret, quid agere velit. Pater ergo tentans, utrum ad perficiendum hunc laborem idoneus sit, librum, praelectionibus mathematicis dicatum euoluit, praebuitque

que cupiens, vellet confeſtim experiri atque ea, quae ob oculos eſſent, absque praeuia praeparatione explicare. Filius illico obediens, ſeque ad explendam voluntatem componens, explicare coepit, primumque has lectiones absque mora per horam integram continuando, vires oſtendit. Quo tentamine rite et feliciter peracto, doctorem in hac arte ſe gerere, nullum nunc ei ultro fuit dubium. Inde decimo octauo aetatis ſuae anno id iam, quod percipere alii vix coeperunt, docuit et cum laude perfecit. Nonne igitur id ſatis patrem aliosque inſtruere potuiſſet, quantus olim Iſte in hac arte futurus exiſteret, et quale eius quantumue ab eo expectandum foret incrementum? Sed in qua hactenus facile magiſtrum aliis ſe praebuit, in alia tamen, arte nimirum medica, tyro tunc temporis fuit. Licet enim naturali quaſi in hanc artem inſtinctu ductus, eam addiſcere concupiuerit, patris tamen renuentis iuſſu a coepto detentum ſanctioribus diſciplinis totum ſe tradere oportuit. Verum, quod perpetrare hactenus fruſtra a patre vegeto integroque conceſſum expectauit, id tandem ab eo moribundo ſponte conceſſum fuit. Morti enim iſte proximus et ſingularem filii propenſionem in artem medicam perpendens, votis tandem annuit, et, ut medicinae ſe deuoueret totum, iubenter conceſſit. Quo facto, patris, breui poſt defuncti, voluntate ultima nixus, illico medicorum ſcholas intrauit, et inter eos WEDELIORVM patris et filii nec non SLEVOGTII et FICKII praelectionibus ſedulo interfuit, eique proſectoris munus a SLEVOGTIO accipienti, cadauera proinde diſſecandi, corporisque igitur humani fabricam penitius perſcrutandi optima et crebra data fuit occaſio. Ita autem in medicis et philoſophicis indefeſſum ſe praeſtitit, ut variis ſtatim dignitatibus academicis condecoraretur. Anno enim milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſeptimo ideoque aetatis ſuae viceſimo Philoſophiae

Magiſtrum

Magiſtrum Eum ſalutarunt, bene omnino promeritum. Etenim praeter matheſin, quam diu iam explicauerat, phyſicen nunc quoque omni cum laude exponere incepit. Sed quam dignitatem philoſophorum ordo ei lubenter impoſuerat, ea et totus meditorum conſeſſus indefeſſum aſſiduumque HAMBERGERVM ornare, multo magis decreuerat. Itaque anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo primo Doctoris munus eiusque priuilegia ab inclyta Facultate Medica Ienenſi accepit, ſeque munere hoc dignum omnino eſſe, multifariam poſthac probauit. At vero, forſan haec prima tantum induſtriae praemia dicas. Longe enim maiora, tunc temporis quidem futura, haud tardo tamen pede ſe inuicem ſecuta ſunt. Ita anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo tertio Ordo philoſophicus praeclaram adeo HAMBERGERI in philoſophia perſpiciens peritiam, *Adiunctorum* numero eum adſcripſit, annoque ſubſequente Weimarienſis territorii Phyſicum prouincialem eum conſtituere, Principibus placuit. Cum autem ad erudiendam iuuentutem, medicae arti addictam aptiſſimum Noſtrum iudicarent, Eum eapropter anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto dignum aeſtimarunt, cui Profeſſionis Medicinae extraordinariae munus deferretur. Verum, hiſce muneribus ob ſingulares animi dotes collatis, HAMBERGERVS annum vix trigeſimum agens ita praefuit, ut omnium expectationi non ſolum ſatisfaceret, ſed et longe eam ſuperaret. His itaque nouas ſuperaddere, haud unquam dubitarunt, ſed quauis data occaſione ſuam ſemper benignitatem atque clementiam abundanter declararunt. Itaque anno huius ſeculi vigeſimo nono Ienenſis Phyſicus conſtitutus eſt. His igitur praemiis affectus omnibus nunc oſtendit, ſe non tantum nomen ſed ipſa haec officia reapſe promereri. Omni enim fide, omni pariter dexteritate, omnibus proſpexit. Licet vero per aliquod tempus nulla ſeſe obtuliſſet

tuliſſet occaſio, Principum tamen benignitas vix parum unquam ſiluit, ſed conſtans ſemper in adaugendis HAMBERGERI dignitatibus manſit, nec unquam defuit. Quantopere autem HAMBERGERI induſtria et aſſiduitas quamue alta mente repoſita fuerit, id quaeuis ſemper declarauit occaſio. Anno enim milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo Phyſices Profeſſor Ordinarius declaratus inſimulque Conſiliarius Aulicus denominatus fuit. Anno huius ſeculi quadrageſimo quarto Ordinariam Profeſſionem in medicina ſuſcepit, quo etiam anno locum in Facultate medica obtinuit. Quatuor poſthac annis elapſis ſummum in facultate aſcendit locum, ab eoque tempore ad ultimum uſque diem munere Profeſſoris Chemiae et Praxeos functus eſt. Sed haec ſunt, quae HAMBERGERO Ienae contigerunt, quaeque Ei ſummo ſemper ceſſerunt honori, ornamento. Aſſ, commemorandum nunc quoque eſt, quod exteri de HAMBERGERI induſtria ſibi polliciti ſint, quantique Eum aeſtimarint. Inter hos primam operam, HAMBERGERVM ad ſe vocandi, dederunt ciuitatis Stetini, Primates. Gymnaſii enim ibi florentis Matheſeos munus praeſidiique militaris curam ei obtulerunt. Anno dein milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo primo Altorfenſis Academia, ut Phyſices et Matheſeos munus in ſe ſuſciperet, Noſtrum rogauit, eodemque tempore Caeſarea Academia Naturae Curioſorum Socium Eum nominauit. Anno poſthac ſeculi noſtri trigeſimo tertio Gottingenſis, annoque tandem quadrageſimo ſecundo Halenſis Academia HAMBERGERVM ad ſe vocarunt, voti tamen nunquam participes.

De matrimonio ineundo cogitauit anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſecundo, duxitque ergo IOANNIS ADOLPHI WEDELII, Medici Ienenſis Celeberrimi filiam, SOPHIAM MARGARETHAM, ex qua ſex filios tresque filias ſuſcepit. Ex quibus

quibus autem omnibus unus tantum quidemque natu maximus filius optimae ſpei et indolis diu ante patris deceſſum diem obiit ſupremum, reliqui vero etiamnum inter viuos optimi patris obitum lugent. Viuere deſiit die menſis Iulii vigeſimo ſecundo anno milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo quinto, diu antea malo Iſchiadico cruciatus crebrioribusque inſultibus ſyncopticis ſenſim ita defatigatus, ut inter ſyncopen etiam viribus et vita deficeret. Itaque exſpirauit HAMBERGERVS, Vir inter Phyſicos et Medicos Celeberrimus, ſuorum deſiderium, omniumque pariter, qui Eum magni ſemper et ubique aeſtimarunt.

Index ſcriptorum a b. HAMBERGERO editorum Libri.

Elementa phyſices methodo mathematica in uſum auditorum conſcripta. Ienae, 1727. 8.

Recuſa et aucta ſcholiis. ibid. 1735. 8.; Tertio prelo ſubiecta. ibid. 1741. 8.; cum praefatione, de cautione in experientiis certe formandis et applicandis adhibenda, et reſponſionibus ad Cl. VAN MVSCHENBROECK obiectiones. Quarta vice excuſa. ibid. 1750. 8.

Vberior dilucidatio legum ſuarum adhaeſionis atque tranſitus ignis ex uno corpore in aliud, qua ſimul ad ea, quae nuper contra diſputata ſunt, reſpondetur. Ienae, 1728. 8.*

LEOPOLDI PILATI, S. R. I. Baronis ep. de conciliandis annis Iuliano et tropico. c. annotationibus. Ienae, 1734. 8.

De reſpirationis mechaniſmo et uſu genuino Diſſertatio, una cum ſcriptis, quae vel illi oppoſita ſunt, vel ad controuerſiam de mechaniſmo illo agitatam pertinent. Accedunt his notae, in quibus ad argumenta, dubia et criminationes reſpondetur, et ſenten-

* vid. Act. Erud. 1730. p. 156.

ſententia in diſſertatione propoſita ab oppugnationibus vindicatur. Ienae, 1748. 4.

Phyſiologia medica. ſ. de actionibus corporis humani ſani, doctrina mathematicis atque anatomicis principiis ſuperſtructa. ibid. 1751. 4. c. f. *

Elementa phyſiologiae medicae in uſum praelectionum academicarum concinnata. ibid. 8. c. f.

Diſſertation ſur la cauſe de l'Elévation des vapeurs, qui a remporté le prix au Iugement de l'Académie des Belles Lettres, Sciences et Arts. à Bourdeaux, 1743. 4.

Diſſertation ſur la mechanique des Sécretions dans le corps humain, qui a remporté le prix, au Iugement de la même Académie. ibid. 1746. 4.

Praef. de Praxi medica rationali addiſcenda et proponenda, praemiſſa GERH. VAN SWIETEN Comment. in BOERHAAVE Aphorismos de cognoſcendis et curandis morbis. Hildburgh. 1747. 4. mai.

Diſſertationes:

Diſſ. Siſtens leges perſpectiuae ad ſitum plani transparentis mutatum applicatas. Ienae, 1719. 4. recuſ. ibid. 1747. 4.

De malignitate in morbis Praeſ. *Io. Adolph. Wedelio* pro gradu Doct. ibid. 1721. 4.

De ſole ſplendorem amittente, coelo nubibus non tecto. Reſp. *Georg. Eckard.* ibid. 1722. 4.

De primis fluidorum phaenomenis. ibid. 1723. c. f. 4.

De experimento ab HVGENIO pro cauſſa grauitatis explicanda inuento. Pro loco in facultate philoſoph. obtinendo. Reſp. *Io. Arzt.* ibid. eod. 4 recuſ. 1747. 4.

De frigore morbifico. Reſp. *Io. Dan. Rücker.* ibid. 1725. 4.

De

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. IV. p. 656.

De penetratione ſalis alcali in interſtitia ſalis acidi per experimenta demonſtrata. Reſp. *Io. Andr. Segner.* Ienae, 1726. 4.

De reſpirationis mechaniſmo atque uſu genuino. Reſp. *Iuſtin. Gerh. Duiſing.* ibid. 1727. recuſ. 1737 et 1747. 4.

De venaeſectione, quatenus motum ſanguinis mutat, contra eruditorum dubia defenſa. Reſp. *Diönyſ. Kraegelius.* ibid. 1729. recuſ. 1737. et 1747. 4. c. fig.

De cohaeſione et attractione corporum. Reſp. et Auct. *Io. Petr. Süſſemilch.* ibid. 1732. 4.

De origine fontium ſotericorum. Reſp. *Aug. Frid. Danckwerts.* ibid. 1733. 4.

De medicamentis emollientibus. Reſp. *Gottl. Ambroſ. Chph. Schelhaſius.* ibid. 1737. recuſ. 1757. 4.

De cauſſis aſcenſus vaporum. Reſp. filio natu mai. *Adolph. Fridr. Hamberger.* ibid. 1743. 4.

Qua diaſtolen cordis a ſanguine, per venas redeunte, non perfici aſſeritur, pro loco in Facult. medica obtinendo. ibid. 1744. 4.

De modo agendi medicamentorum in genere. Reſp. *Io. Herm. Wille.* ibid. eod. 4.

De tumoribus generatim. ibid. eod. 4.

De ſimilitudine ſignorum indicationis et mortis, in febribus acutis proxime inſtantis. Reſp. *Mich. Pfeiffer.* ibid. 1745. 4.

De inflammationum pathologia. Reſp. *Abrah. Gottl. Wagner.* ibid. eod. 4.

De modo agendi medicamentorum terreorum. Reſp. *Georg. Iac. Biermann.* ibid. eod. 4.

De haemorrhoidibus doctrina generalis. Reſp. *Chriſtoph. Henr. Schnell.* ibid. eod. 4.

De viis menſium inſolitis. ibid. eod. 4.

De incraſſantibus. Reſp. *Wilh. Godofr. Frobenius.* ibid. 1746. 4.

De inflammationum verarum diagnoſi. Reſp. *Mich. Wittwerck.* Ienae, 1746. 4.

De hepate obſtructo multorum morborum cauſſa. Reſp. *Io. Chph. Reinmann.* ibid. eod. 4.

De medicamentis reſoluentibus. Reſp. *Io. Iac. Milgus.* ibid. eod. 4.

De ſpina ventoſa. Reſp. *Phil. Ernſt. Maler.* ibid. eod. 4.

De luxationibus et ſubluxationibus. Reſp. *Io. Henr. Hieronymi.* ibid. eod. 4.

De tumore abdominis poſt partum non ceſſante. ibid. eod. 4.

De meteororum actione in corpus humanum. ibid. eod. 4.

De paregoricis. Reſp. *Rud. Chriſt. Pfaff.* ibid. 1747. 4.

De anodynis ſtricte ſic dictis. Reſp. *Wilh. Sim. Chriſt. Hirſching* ibid. eod. 4.

De morte ſubitanea, omni aqua per paracenteſin abdominis ſimul educta, plerumque contingente. Reſp. *Fridr. Buchner.* ibid. eod. 4.

De hypnoticis et narcoticis. Reſp. *Io. Hieronym. Bolſter.* ibid. 1748. 4.

De ſulphure. Reſp. *Io. Iac. Schreiber.* ibid. eod. 4.

De calore humano naturali. Reſp. *Adolph. Fridr. Hamberger.* ibid. eod. 4.

Vnius pulſationis praedicata, quatenus eſt actio. Reſp. *Fridr. Wilh. Hoffmeiſter.* ibid. 1749. 4.

De attrahentibus. Reſp. *Io. Chriſt. Graff.* ibid. eod. 4.

De opio. Reſp. *Io. Chriſt. Burghardi.* ibid. eod. 4.

De emeticorum agendi modo et uſu. Reſp. *Fridr. Ludou. Wigand.* ibid. eod. 4.

De purgantibus. Reſp. *Carol. Aug. Deutſch.* ibid. eod. 4.

De exanthematibus, ſpeciatim de purpura. Reſp. *Io. Benedict. Morgenſtern.* ibid. eod. 4.

De

De dolore in genere. Reſp. *Fridr. Theod. Fiſcher.* Ienae, 1750. 4.
De vigiliis. Reſp. *Mart. Iac. Kubas.* ibid. eod. 4.
De rigiditate fibrarum. Reſp. *Io. Gottl. Hanſch.* ibid. ibid. eod. 4.
De nutritione. Reſp. *Io. Andr. Muthwill.* ibid. eod. 4.
De ſcirrho. Reſp. *Io. Chriſtoph. Paetzel.* ibid. 1751. 4.
De ſiti. Reſp. *Paul. Conr. Ieſſen.* ibid. eod. 4.
De natura febris. Reſp. *Iul. Albert. Henr. Zeller.* ibid. eod. 4.
De ſcorbuto frigido. Reſp. *I. A. W. Lez.* ibid. eod.
De foetu in utero materno liquorem amnii deglutiente. Reſp. et Auct. *I. F. Keſſel.* ibid.
De conuulſionum natura. Reſp. *Chriſt. Adam. Gondela.* ibid. eod. 4.
De calore et frigore corporis humani, atque modo agendi remediorum refrigerantium et calefacientium. Reſp. *Ioach. Francke.* ibid. eod. 4.
De anxietatibus. Reſp. *Mich. Iac. Buch.* ibid. eod. 4.
De atoniae cauſſis in genere. Reſp. *Phil. Iac. Hoffmann.* ibid. eod. 4.
Diarrhoeae pathologia. Reſp. *Gerh. Meier.* ibid. 1752. 4.
De frigore ſymptomatico. Reſp. *Io. Fridr. Schickard.* ibid. eod. 4.
De ſuffocatione. Reſp. *Io. Sailler.* ibid. 1753. 4.
Vlcerum pathologia Reſp. *Paul. Lanyi* ibid eod. 4.
De obſtructione. Reſp. *Io. Bernh. Gottſchalck.* ibid. eod. 4.
De tremore. Reſp. *Laur. Chriſt. Clauſſen.* ibid. 1754. 4.
De gangraena. Reſp. *Maur. Caſimir. Wenneber.* ibid. eod. 4.
Obſeruationes quaedam clinicae. Reſp. *Chriſtoph. Gottl. Schultze.* ibid. eod. 4.
Inflammationum therapia. Reſp. *Ioh. Theophr. Trogmayr.* ibid. eod. 4.

De aeris in corpore humano haerentis elaſtici effectibus tam naturalibus quam praeternaturalibus. Reſp. *Matth. Chriſt. Knuzen.* Ienae, 1754. 4

De apoplexia. Reſp. *Chriſt. Gottfr. Lange.* ibid. eod. 4.

De atonia. Reſp. *Io. Dau. Chriſtoph Purckhauer.* ibid. eod. 4.

Programmata.

Ep. gratul. ad D. IO. ADOLPH. WEDELIVM, ubi de phaenomenis quae ſimilitudinem actionum fluidorum etc. agitur. Ienae, 1725. 4.

Progr. auſpiciale de camphora per ſpiritum nitri fuſa. ibid. 1727. 4.

De partialitate acus magneticae. ibid. eod. 4.

Contra mechaniſmum pectoris ad dubia ab Ill. HALLERO mota reſpondet. Progr. inaug. I—VIII. ibid. 1744—1746. 4.

De ruptura inteſtini duodeni. ibid. 1746. 4.

De Cyprino monſtroſo roſtrato. Progr. inaug. I—V. ibid. 1748. 4. c. f.

De aere corporibus incluſo. Progr. inaug. I—X. ibid. 1747, 1750. 4.

De peruerſa valetudinis cura. Progr. inaug. I—IX. ibid. 1750—1755. 4.

XXI.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1757 prodierunt.

D. IOH. CHRISTOPH EBELS *Abhandlung von dem deutſchen Indig, oder einer feſten blauen Farbe aus dem Waid; aus dem Lateiniſchen überſetzt und mit Anmerkungen verſehen von* D. CARL LVDWIG NEVENHAHN. *Braunſchweig*, 8.

IOAN. PETR. EBERHARDI Diſſ. inaug. de motu cordis, ab aucta vaſorum reſiſtentia auctо, oppoſita argumen-

argumentis Celeb. DE SAUVAGES. Reſp. *Io. Carol. Boecking*. Halae, 4.

IOAN. PETR. EBERHARDI Conſpectus medicinae theoreticae in tabulas redactus. Pars I. Phyſiologia et Diaetetica. ibid. 8.

IO. PHILIP. HENR. EBHARDT Diſſ. de acidorum mineralium natura atque proprietatibus. Goetting. 4.

BALTHASAR ERHART *Oeconomiſche Pflanzenhiſtorie, nebſt dem Kern der Landwirthſchaft, Garten- und Arzneykunſt. Fünfter Band. Vlm und Memmingen*, 8.

Diſſertationes ſelectae ALBERTI EVLERI, PAVLI FRISII et LAVRENTII BERAVD, quae ad Imperialem Scientiarum Petropolitanam Academiam an. 1755 miſſae ſunt, cum electricitatis cauſſa et theoria, praemio propoſito, quaereretur. Petropoli et Lucae. 8.

GIACINTO BARTOLOMEO FABBRI Sulla inſenſitiuita ed irritabilita Halleriana opuſcoli di vari Autori P. I. nella quale ſi contingono tutte le coſe favorabili al ſiſtema del Chiar HALLER. Bologna, 4. Tome II.

LVDWIG FAKRATS Diſſ. inaug. ſiſtens theſes inaugurales ex materia medica et chymia. Baſil. 4.

IO. FRID. FASELII Diſſ. inaug. ſiſtens morbos arteriarum cum ſuis cauſſis, effectibus atque ſignis tam diagnoſticis, quam prognoſticis. Reſp. *Ierem. Dan. Brebizius*. Ienae, 4.

Eiusd. Progr. de uſu clyſterum in febrium exanthematicarum curatione. ibid. 4.

Principes de Chirurgie par M. GEORGE DE LA FAYE: nouvelle edition corrigée et augmentée. à Paris, 12.

FORTVNAT. DE FELICE Diſſ. de Newtoniana attractione, unica cohaerentiae naturalis cauſſa, aduerſus Cl. HAMBERGERVM. Bern. 4.

Traité des fievres; trad. du Latin de Mr. FIZES. à Paris, 12.

ANTON. FRACASSINI opuſcula pathologica, alterum de febribus, alterum de malo hypochondriaco. Grypswaldiae, 4.

L'Electricité de Mr. FRANCKLIN. Voll. 2. Paris, 8.

Dictionnaire médicinal, contenant la méthode ſûre pour connôître et guerir les maladies critiques et chroniques, par des rémédes ſimples et proportionnès à la connoiſſance de tout le monde et les rémédes particuliers, qu'on diſtribue dans l'Europe comme des Secrets. On y a joint les maladies des chevaux etc. par M. I. G. Docteur en Med. Nouvelle Edition. à Paris, 12.

PETR. ADRIAN. GABO, Finska ängskiötſelens hinder och hielp. Reſp. *Io. Henr. Hallenberg.* Abo.

THOMAS GATAKER Obſervations on the internal uſe of the Solanum or Nightſhade. The fourth Edition, to which is added a Supplement. London, 8.

Planches anatomiques de Mr. GAVTIER. Seconde Edition. à Paris, fol.

IOAN. CAROL. GEHLER Diſſ. de characteribus foſſilium externis. Reſp. *Chriſtian. Frid. Kadelbach.* Lipſ. 4. c. f.

LVDOVIC. ALEXAND. GERVAISE Quaeſt. med. an in morbis acutis ſoli naturae criſes molienti fidendum? Reſp. *Ludov. Maria Girard de Villars.* Paris, 4.

Kurze Anweiſung, wie mit dem Anbau des Holzes zum gedeihlichen anzuhoffenden Anwachs deſſelben zu Wercke zu gehen, auf Verordnung churfürſtlich-maynziſcher Policey- und Merkantil-Deputation in Erfurt, aus denen den Holz-Anbau betreffenden Actis, *auch forſtmäßigen Berichten und Gutachten zuſammengetragen, und zu nützlicher Direction der chur-*

churfürſtlichen Unterthanen zum Druck befördert von CARL AVGVST GRVTEBRÜCK. *Erfurt*, 8.

IOH. THEOPHIL. GIBOLLET Diſſ. inaug. de aneuryſmate. Argentor. 4.

EBENEZER GILCHRIST the Uſe of Sea-Voyages in Medicine. London.

IOSEPH. ALBAN. GLYCKHERR Diſſ. inaug. de febre inflammatoria meſenterio-inteſtinali. Argentor. 4.

PHILIP. FRID. GMELIN Diſſ. ſpecifica methodus recentior cancrum ſanandi, cuius hiſtoriam, analyſinque chemicam et medicam practicam publicae ventilationi exponit etc. Auctore et Reſpond. ACHAT. GAERTNER. Tubing. 4.

Eines wahren Adepti beſondere Geheimniſſe von der Alchymie zum Gebrauch und Nutzen denen Liebhabern herausgegeben, und mit Figuren erläutert von C. G. H. *Dreßden*, 8.

ANTON DE HAEN Ratio medendi in noſocomio practico, quod in gratiam medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA etc. Viennae.

Eiusd. Quaeſtiones ſaepius motae ſuper methodo inoculandi variolas, ad quas directa eruditorum reſponſa hucusque deſiderantur, indirecta minus ſatisfacere videntur. Viennae, 8 mai.

Collection de thèſes medico-chirurgicales ſur les points les plus importans de la Chirurgie Theorique et Pratique, recueillies et publiées par Mr. le Baron DE HALLER et rédigées en françois par Mr. * * *. Tom. I. à Paris, 12. (*Diſſertationes hae in gallicum translatae ſunt ſermonem, non quoad quidem verba, ſed primaria tantum earum momenta.*)

Diſputationes ad morborum hiſtoriam et curationem facientes. Quas collegit, edidit et recenſuit ALBERTVS HALLERVS. Tom. I. II. III. Lauſannae, 4. mai. c. f. Voll. 3.

ALBERTVS HALLERVS Elementa Phyſiologiae corporis humani. Tom. I. Fibra. Vaſa. Circuitus ſanguinis. Cor. ibid. 4 mai. c. f.

Deux Memoires ſur la formation du Poulet; memoires ſur pluſieurs phenomenes importans de la reſpiration par Mr. DE HALLER. à Lauſanne, 12. Voll. 2.

Die Naturgeſchichte der Thiere in ſyſtematiſcher Ordnung. Die vierfüßigen Thiere, welche lebendige Jungen zur Welt bringen; nebſt der Geſchichte des Menſchen entworffen von IOHANN SAMVEL HALLER. *mit Kupfern. Berlin,* 8 mai.

GEORGII ERHARDI HAMBERGERI Elementa phyſiologiae medicae in uſum praelectionum academicarum concinnata, cum figuris. Lipſ. 8.

Eiusd. Diſſ. de medicamentis emollientibus, *oder von erweichenden Arzneymitteln.* Ienae, 4.

Traité de la culture des Terres par Mr. DV HAMEL DE MONCEAV: Tome cinquieme contenant les experiénces et réflexions ſur la culture des Terres et ſur la conſervation des Grains, faites pendant les années 1755 et 1756. à Paris, 12. c. f.

GVSTAV. CHRISTIAN. HANDTWIG Diſſ. inaug. de puerpera partu difficillimo laborante. Reſp. *Io. Henr. Maul.* Roſtoch, 4. c. f.

Meditationes botanico - medicae de planta quadam Marchiae propria, Pimpinella nigra, quibus demonſtratur, illam in multis morbis inſignem poſſidere virtutem et efficaciam, pertractatae et editae a L. IOANNE ANDR. HARNISCH. Lipſ. 4.

FRID. HASSELQVIST Iter palaeſtinum, eller reſa til heliga landat förättad ifrän 1749 til 1752 med beſkrifwingar, rön, Anmerkningar öfwer de märkwärdigaſte naturalier. Stockholm, 8 mai.

I. E. HEBENSTREIT Aetiologia chemica; ſeu expoſitio cauſſarum ſani et aegroti hominis ſecundum principia chemica, diſſertatiunculis clariſſimorum quorun-

quorundam iuuenum expoſita, cum indice neceſſario. Lipſiae, 4.

I. E. HEBENSTREIT Diſſ. Ὅμοια τῶν ἐλλειπόντων ὁμοίων ἰάματα; de ſimilibus ſimilium deficientium medicina. Reſp. Θωμᾶ Μανδακάση Καϛοριάνῳ. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ſuſpecta valetudine. Reſp. *Io. Chriſtoph. Elhard.* ibid. 4.

Eiusd. Progr. AETII AMIDENI Ἀνεκδότων lib. IX. cap. XXVIII exhibens tenuioris inteſtini morbum, quem ileon et chordapſum dicunt, una cum veterum ſuper hac aegrotatione ſententiis. ibid. 4.

Eiusd. Tentamen philologicum medicum ſuper AETII AMIDENI ſynopſis medicorum veterum libris octo, poſt illos octo, quos ALDVS MANVTIVS Venetiis euulgauit. ibid. 4.

Eiusd. Progr. Ordo morborum cauſſalis. Specimen VII. ibid. 4.

ANTON HEINS Pharmacia rationalis, *oder vernünfftiger Gebrauch auserleſener Genesmittel in zwey Theilen, deren erſterer von denen Hülfsmitteln überhaupt, der andere von denenſelben insbeſondere, in zwey Abſchnitten, zum Dienſt innerlicher und äuſſerlicher Krankheiten handelt. Nebſt einer Vorrede* D. IOHANN ERNST HEBENSTREITS *von der Wahl des beſten Mittels, und einem doppelten Regiſter derer Nahmen nnd derer Sachen.* ibid. 4.

IO. GOTTLOB. HEISE Diſſ. de noxio inſectorum effectu in corpus humanum. Halae, 4

IOHANN FRIEDR. HENKELS *kleine mineralogiſche und chymiſche Schriften, nebſt einer Vorrede von den Bergwerkswiſſenſchaften zu Vermehrung der Cammeralnutzungen, und mit Anmerkungen herausgegeben von* CARL FRIEDR. ZIMMERMANN. *Neue Auflage. Dresden,* 8.

GEORGE HEVERMANNS *Abhandlungen der vornehmſten chirurgiſchen Operationen am menſchlichen*

Körper mit Abzeichnung der hierzu erforderlichen Inſtrumente. Dritter Theil. Koppenhagen und Leipzig, 8.

MATTHIAS HEVSSII Diſſ. philoſ. de ſtatu animae hominis, inter feras adoleſcentis. Reſp. *Iacob Schweikard.* Argentor, 4.

Reizen door een Gedeelte van Europa, klein Aſien, verſcheide Eilanden van de Archipel, Syrien, Palaeſtina of het H. Land, Aegypten, den Berg Sinai etc. in de beginne van dere Eeuwgedaan door den Hoog Ed. Welgeb. Heer IOHAN AEGIDIVS VAN EGMOND VAN DER NYENBVRG en den Hoog Eermaarden Hoog Geleerdem Heer IOHANNES HEYMANN; telles uyt beider eygenhandige nagelaten Schrifften opgemaakt, in een goede ordre gebragt; en briefswyze zamengeſtelt, en behoorlyk ter Drukpreſſe bezorgt door IOHANNES WILHELMVS HEIMANN. Eerſte Deel. te Leiden, 4 mai.

IOHN HILL the Sleep of Plants, and cauſe of motion in the Senſitive Plant explain'd. London, 12.

LAVR. HIORZBERG Diſſ. de cauſſa maxime probabili attractionis corporum. Vpſal. 4.

GOTTFR. AVG. HOFFMANN *oeconomiſche Abhandlung der Chymie, zum Gebrauch des Haus- Land- und Stadt- Wirths, des Künſtlers, Manufacturiers, Fabricanten und Handwerkers, Preißſchrift, welche die in den oeconomiſchen Nachrichten darauf geſetzte Prämie erhalten. Leipzig*, 8. *m. K.*

CAROL. FRIDER. HVNDERTMARCK Diſſ. inaug. Oſteo - ſteatomatis caſum rariorem proponens. Auct. et Reſp. *Frid. Iacob. Tittmann.* ibid. 4. c. f.

Theorie nouvelle du Flux menſtrual et traité des maladies de la tête par HVRTAVT. à Paris, 12.

IOHN HVXHAM's Diſſertation on the malignant ulcerous ſore throat. London, 8. mai.

A courſe

A courſe of anatomico-phyſiological lectures on the human ſtructure and animal oeconomy, including what is more valuable in the works of WINSLOW, HALLER, RVYSCH, MORGAGNI, MONROO, HEISTER: by NICOL. IENTY. Tom. I. II. III. London, 8.

FRANCISCI IMBERT Theſis diaet: an ſanitati faciat decumbendi modus. Reſp. et Auct. *Anton de Villeneufve*. Monspelii, 4.

IOAN. IVNCKER Diſſ. inaug. de reſpectu ad vermes in morbis chronicis et acutis habendo. Reſp. *Io. Godofr. ab Exter*. Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ouuli impraegnati nexu cum utero. Reſp. *Bernhard Perkuhn*. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de vano ac vero a morborum contagio metu. Reſp. *Frid. Fabricius*. ibid. 4.

Elémens de Chymie, ſuivant les principes de BECKER et de STAHL, traduits du Latin ſur la ſeconde édition de Mr. IVNCKER, avec des Notes par Mr. DE MACHY. a Paris, 12. Voll. 6.

IOH. HEINRICH GOTTLOB VON IVSTI *Grundriß des geſammten Mineralreichs, worinnen alle Foſſilien in einem, ihren weſentlichen Beſchaffenheiten gemäßen Zuſammenhange vorgeſtellet und beſchrieben werden. Götting.* 8.

Eiusd. *Neue Wahrheiten zum Vortheile der Naturkunde und des geſellſchaftlichen Lebens der Menſchen. 10tes Stück. Leipzig*, 8.

PETER KALM en oeconomiſk beſkrifning huru ſädana kiärr kunna giöras nyttiga hwarifrän watnet ei kan ledas med diken. Aboa, 4.

Eiusd. om takſkifwers upletande egenkiännande och nytta. Reſp. *Iacob. Benedict*. ibid. 4.

CAROL. FRID. KALTSCHMIED Diſſ. inaug. ſiſtens varia partus impedimenta ex capitis vitio. Reſp. et Auctore *Henr. Landis*. Ien. 4.

Eiusd.

CAROL. FRID. KALTSCHMIED Progr. de aegro inflammatione ventriculi demortuo, calculis poſt mortem renum et veſiculae felleae rarae magnitudinis et figurae per ſectionem detectis. ib. 4. c. f.

Eiusd. Diſſ. inaug. ſiſtens caſum de haemorrhoidibus coecis, in ulcus veſicae urinariae mutatis. Reſp. *Chriſtian Herrmann.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. ſiſtens caſum effectus ſalium ſanguini inhaerentium tam naturales, quam praeternaturales, una cum medela generali horum affectuum praeternaturalium. Reſp. *Ierem. Daniel Brebizius.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de aſthmate pituitoſo. Reſp. *Ioan. Gamman.* ibid. 4.

Eiusd. Progr. de neceſſaria poſt paracenteſin abdominis deligatione. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de haemoptyſi. Reſp. *Frid. Detleuus Baad.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de plethora in ſenſu medico ſemper ſpuria. Reſp. *Franc. Gottf. Fiſcher.* ibid. 4.

Eiusd. Progr. de plethora vera ſenſu medico ſumta. ibid 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de febre quartana intermittente. Reſp. *Io Godofr. Barendt.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de iſtis mercurii partibus, quae in primis miasma venereum in corpore haerens deſtruere valent. Reſp. *Chriſtlieb Leberecht Alberti.* ibid. 4.

IOAN. CHRISTIAN. KERSTENS Diſſ. prior philoſoph. de maturatione ut cauſſa perfectionis corporum organicorum. Reſp. *Chriſtian. Gottlieb Zieger.* Lipſiae, 4.

Eiusd. Diſſ. altera, inaug. med. de maturatione ut cauſſa nouae valetudinis. ibid. 4.

HERM. NIC KIENMANN Diſſ. inaug. de verſionis in extrahendo partu praeſtantia et adminiculis. Götting. 4.

IOHANN

IOHANN GOTTFR. KNIPHOFS *Abhandlung vom Salat, und deſſen wahren Nutzen und Schaden, nebſt der Beſchreibung und Nutzen des* olei tromponum. *Erfurt*, 4.

IO. HIERON. KNIPHOFII Botanica in originali, ſeu herbarium viuum, in quo plantarum tam indigenarum, quam exoticarum, peculiari quadam et operoſa enchireſi atramento impreſſorio obductarum nominibusque ſuis ad methodum illuſtrium noſtri aeui Botanicorum, LINNAEI et LVDWIGII, inſignitarum elegantiſſima ectypa exhibentur, ſtudio IO. GODOFR. TRAMPE Centur. III. Hal. fol.

IVDWIG WILHELM VON KNÖR Vademecum medicum, *darinne eine kurz gefaßte Methode aller Krankheiten, und wie ſolche zu curiren, ſamt den darzu gehörigen Formeln, vor Augen gelegt wird. Naumburg und Leipzig*, 8.

IOH. CHRIST. GERH. KNOLLS 26 *vermiſchte Anmerkungen aus der Arzneygelahrheit. Halberſtadt*, 8.

IOAN. TOBIAS KOEHLER, Primus inter Germanos, artis ſalutaris peritia celebres, WINTARVS CAROLI M. Francorum Regis Medicus illuſtratus. Götting. 4.

IOAN KRATZ Diſſ. inaug. hiſtoriam fontis Holzenſis in Alſatia, germ. *Holzbad* dicti, ſiſtens. Argentor. 4.

IPHRAIM KRVGER Epiſtola de uſu peregrinationis medico. Lipſ. 4.

IO. GOTTLOB KRVEGER Diſſ. inaug. de uſu enematum in febribus acutis. Reſp. *Io. Auguſtin. Seidel.* Helmſtadii, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de corticis peruuiani eiusque praeclaro in febribus lentis uſu. Reſp. *Io. Godofr. Ludou. Lindemann.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de electricitatis Muſſchenbroekianae in ſanandis morbis efficacia. Reſp. *Io. Herrmann Sietenz.* ibid. 4.

IO.

IO. GOTTLOB KRVEGERS *Fortſetzung der Nachrichten von den vortreflichen Wirkungen des Helmſtädtiſchen Geſundbrunnens. Halle und Helmſtädt*, 4.

AVG. CHR. LANGBEIN, Specimen Embryulciae antiquae ex Q. SEPTIM. FLOR. TERTVLLIANI libro de anima cap. XXV. Dresdae, 4.

IOAN. HENR. LANGE Diſſ. de ſomno inquieto, ſanitatis praeſidio. Reſp. *Ioan. Henr. Chriſtian. Martini.* Kiloni, 4.

GEORG. AVG. LANGGVTH Diſſ. de morbis ſerus ſequioris ex nimio peruerſoque pulcritudinis ſtudio oriundis. Reſp. *Carol. Gottlieb Magnus.* Wittenberg, 4.

DANIEL LANGHANS *Entdeckung eines Mittels wider die Auszehrung des Leibes und die Geſchwüre der Lunge. Dritte vermehrte Auflage. Zürch*, 8.

Eiusd. *und* DANIEL RVDOLPH ITH *Beſchreibung der Helvetiſchen Pillen, durch deren Gebrauch man ſich in Zeit von 5 bis 24 Tagen von einer franzöſiſchen Seuche und ihren Folgen ohne Speyen und Salben befreyen kan, bewieſen durch 24 öffentliche Proben.* ibid. 8.

Obſervation ſur une Hydrophobie ſpontanée ſuivie de la rage, addreſſée à Meſſieurs les Auteurs du Iournal des Scavans, par Mr. LAVIROTTE. à Paris.

C. GEILLE DE ST. LEGER Qnaeſt. med. an ut ſenſibilitas, ita irritabilitas a neruis? Reſp. *L. Maria Girard de Villars.* Pariſ. 4.

Cours de Chymie de LEMERY par M. BARON. à Paris, 4. c. f.

FRIED. CHRIST. LESSERS Inſecto-Theologia, *oder vernunft- und ſchriftmäßiger Verſuch, wie ein Menſch durch aufmerkſame Betrachtung derer ſonſt wenig geachteten Inſecten zu lebendiger Erkenntniß und Bewunderung der Allmacht, Weisheit, Güte,*

und

und Gerechtigkeit des groſsen Gottes gelangen könne. Dritte vermehrte Auflage. Leipzig, 8.

IOAN. CHRISTIAN. LEVSCHNER, Ad eruditiſſimi viri IACOBI BVRCARDI medicum grauiſſimum humanitatis ſtudiorum vindicem Analectorum Specimen II. Hirſchbergae, 4.

Diſſertation ſur les Bains d'Eau ſimple, tant par immerſion, qu'en douches et en vapeurs: par IEAN PHILIPPE DE LIMBOVRG. à Liege, 12.

CAROL. LINNAEVS, Diſſ. inaug. migrationes auium. Reſp. *Car. Daniel Ekmark.* Vpſal. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de morbis expeditionis claſſicae. Reſp. *Peter Bierchen.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Febris Vpſalienſis. Reſp. *Andr. Boſtröm.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Exanthemata viua. Reſp. *Io. C. Nyander.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Culina mutata. Reſp. *Magn. G. Oſtermann.* ibid. 4.

Obſervations upon Husbandry by EDOVARD LISTE. London, 4.

Traité pratique de la cure des Fievres, contenant la Théorie des principaux Symptomes qui accompagnent les fiévres, la Deſcription des fiévres, et leur Diſtribution en claſſes générales, diviſées chacune en eſpeces particulieres etc. Traduit de l'Anglois de THEOPHILE LOBB. à Paris, 12. Voll. 2.

Elemens de Phyſique par I. LOCKE avec les penſées du même auteur ſur la lecture et les études, qui conviennent à un Gentil-homme; ouvrage nouvellement traduits de l'Anglois. à Amſterdam et Leipzig, 8.

Reliqua proxime.

Conten-

Contenta in hac parte.

1. De Bononienſi ſcientiarum et artium inſtituto atque academia Commentar. Tom. IV. p. 387.
2. KAW BOERHAAVE Hiſtoria anatomica infantis, cuius pars corporis inferior monſtroſa. Pars I et II. p. 402.
3. TRALLES Vſus opii ſalubris et noxius in morborum medela. Sect. I. p. 411.
4. Pharmacopoeia Argentoratenſis p. 428.
5. KRÜGERI Diſſ. de neruo phrenico p. 430.
6. LVDWIGII Pr. ſiſtens obſeruationem de via bilis cyſticae p. 433.
7. LEDERMÜLLERS *Verſuch einer gründlichen Vertheidigung der Saamenthierchen* p. 435.
8. LVDWIGII Inſtitutiones medicinae clinicae p. 442.
9. BOEHMERI Obſeruationum anatomicarum rariorum Faſc. II. p. 458.
10. HALLERI Diſputationes ad hiſtoriam morborum et curationem facientes Tom. I. II. III. p. 463.
11. VANDERMONDE Recueil periodique d'obſervations de Medecine etc. Tom. V. et VI. p. 471.
12. VANDELLII De ſenſibilitate Halleriana Epiſt. I et II p. 506.
13. PVIATI de victu febricitantium Diſſertatio p. 509.
14. DE HALLER Deux Memoires ſur la formation des os p. 516.
15. Acta Heluetica phyſico-mathematico-anatomico-botanico-medica. Voll. III. p. 523.
16. RONCALLI in variolarum in oculationem diſſertatio epiſtolaris p. 536.
17. BOEHMERI Diſſ. de nectariis florum p. 538.
18. EIVSDEM Prog. de ornamentis, quae praeter nectaria in floribus deprehenduntur p. 544.
19. GEHLERI Diſſ. de characteribus foſſilium externis p. 546.
20. Noua phyſico-medica p. 561.
21. Continuatio Indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1757. prodierunt p. 564.